SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XVIII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE

XVIII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI
BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

OENIPONTI.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.
1872.

ROMANORUM

PONTIFICUM

INNOCENTII, ZOSIMI, BONIFACII

ET

COELESTINI

EPISTOLAE SELECTAE.

LONDINI
apud David Nutt.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sanctorum-patrum-opuscula-selecta_1872_18

EPISTOLA IV.[1])

INNOCENTII PAPAE I.

ad

EPISCOPOS MACEDONAS.

(EX DIONYSIO EXIGUO.)

1. Ut si sacerdos vel quilibet ex clero viduam uxorem duxerit, vel ejectam, suum perdat officium. 2. Ut si quis catechumenus habuerit uxorem, et defuncta ea post baptismum sortitus fuerit alteram, clericus non sit. 3. Quod non suscipiantur in clero ab haereticis ordinati. 4. Quod in ordinationibus crimina vel vitia non bene credantur auferri. 5. Quod ii, qui a Bonoso haeretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret Ecclesiae. 6. Quod in Ecclesia peccatum populi inultum soleat praeteriri. 7. Quod subreptum fuerit apostolicae sedi, et suam in melius sententiam commutarit.

Innocentius Rufo, Eusebio, Eustathio, Claudio, Maximiano, Eugenio, Gerontio, Joanni, Polychronio, Sophronio, Flaviano, Hilario, Macedonio, Calicratio, Zosimo, Profuturo, Nicetae, Hermogeni, Vincentio, Asiologo, Terentiano, Herodiano, et Marciano, episcopis Macedonibus et diaconis in Domino salutem.

---

1. Magna me gratulatio habuit, cum post tot discrimina totius, ut ita dixerim, mundi

---

[1]) In editione Coustantii 17. Scripta 13. Dec. 414.

Vitalis archidiaconus vestrarum portitor literarum, ex illis partibus ad nos usque directus advenit. Quem cum vidissemus, illico, ut oportebat, percontati de vestro statu sumus. Verum ubi reperimus vos ex sententia degere, Deo nostro uberes gratias retulimus, quod suos famulos suisque altaribus servientes et in adversis tuetur, et in prosperis gubernare dignatur. Qui cum tradidisset epistolas, eas praecepi illico recenseri: in quibus multa posita pervidi, quae stuporem mentibus nostris inducerent, facerentque nos non modicum dubitare, utrum aliter putaremus, an ita illa essent posita, quemadmodum personabant. Quae cum saepius repeti fecissem, adverti sedi apostolicae, ad quam relatio missa quasi ad caput ecclesiarum currebat, aliquam fieri injuriam [1]), cujus ad-

---

[1]) Jam Innocentius epist. I. al. 2. n. 7. et 8. necnon epist. II. al. 3. n. 11. vetuerat, ne ad clerum admitteretur, qui vel viduam vel secundam uxorem duxit, etiamsi primam accepisset ante baptismum. Probabile autem est, eum Siricii exemplo curasse, ut hujusmodi epistolae ac decreta per provincias commearent, ut ipse loquitur epist. 6. n. 2. ne quis eorum ignorantiam praetenderet. Certe id, de quo antea scripsisse se testificatur, in duo praedicta capita, non in alia duo, quae subinde tractantur, cadit.

huc in ambiguum sententia duceretur. Unde de quibus jam dudum scripsisse memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus relationis vestrae geminata percontatio compellit.

Cap. I. 2. Eos, qui viduas accepisse suggeruntur uxores, non solum clericos effectos agnovi, verum etiam usque ad infulas summi sacerdotii pervenisse: quod contra legis esse praecepta nullus ignorat. Nam cum Moyses legislator clamitet: *Sacerdos uxorem virginem accipiat;* ac ne in hoc praecepto aliquid putaretur ambiguum, addidit, *non viduam, neque ejectam* (Lev. 21. 13. et 14.). Contra quod praeceptum, divina auctoritate submissum, nulla defensio mandati alterius opponitur, nisi consuetudo vestra: quae, ut ipsi fatemini, ex ignorantia, ut verecundius dicam, non ex apostolica traditione et integra ratione constituta est. Nos autem, omnesque per Orientem Occidentemque ecclesias, noverit vestra dilectio haec penitus non admittere; nec ad ultimum ecclesiastici ordinis locum tales assumere, et si reperti fuerint, removere.

Cap. II. 3. Deinde ponitur, non dici oportere digamum eum, qui catechumenus habuerit atque amiserit uxorem, si post ba-

ptismum fuerit aliam sortitus; eamque primam videri, quae novo homini copulata sit: quia illud conjugium per baptismi sacramentum cum ceteris criminibus sit ablutum. Quod cum de una utique dicitur, certo si tres habuerit in vetere positus homine uxores, erit ei, quae post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima; virginisque nomen accipiet, quae quarta ducta est loco. Quis, oro, istud non videat contra Apostoli esse praeceptum, qui ait, *unius uxoris virum* (1. Tim. 3. 2.) oportere fieri sacerdotem?

4. Sed objicitur, quod in baptismo totum quidquid in vetere homine gestum est, sit solutum. Dicite mihi, cum pace vestra loquor: crimina tantum dimittuntur in baptismo, an et illa, quae secundum Legis praecepta ac Dei instituta complentur? Uxorem ducere crimen est, aut non est crimen. Si crimen est, ergo, praefata venia dixerim, erit auctor in culpa, qui ut crimina committerent, in paradiso, cum ipse ita eos jungeret, benedixit. Si vero non est crimen, quia quod Deus junxit, nefas sit crimen appellari; et Salomon addidit: *Etenim a Deo praeparatur viro uxor* (Prov. 19, 14.): quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod Deo auctore legitur consummatum?

5. Quid de talium filiis percensetur? numquid non erunt admittendi in hereditatis consortio, qui ex ea suscepti sunt, quae ante baptismum fuit uxor? eruntque appellandi vel naturales vel spurii, quia non est legitimum matrimonium, nisi illud, ut vobis videtur, quod post baptismum assumitur? Ipse Dominus, cum interrogaretur a judaeis si liceret dimittere uxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit: *Quod ergo Deus junxit, homo non separet* (Matth. 19. 6.). Ac ne de his locutus esse credatur, quae post baptismum sortiuntur, meminerint hoc et a judaeis interrogatum, et judaeis esse responsum. Quaero, et sollicitus quaero, si una eademque sit uxor ejus, qui ante catechumenus, postea sit fidelis, filiosque ex ea, cum esset catechumenus, susceperit, ac postea alios, cum fidelis: utrum sint fratres appellandi, an non habeant postea, defuncto patre, herciscundae hereditatis consortium, quibus filiorum nomen creditur abstulisse regeneratio spiritalis? Quod cum ita sentire atque judicare absurdum est; quae malum ratio est hoc defendi, et vacua opinione magis jactari, quam aliqua auctoritate roborari, cum non possit inter peccata deputari, quod Lex praecepit, et Deus junxit?

6. Numquid si quis catechumenus virtutibus studuerit, humilitatem secutus fuerit, patientiam tenuerit, eleemosynas fecerit, morti destinatos qualibet ratione eripuerit, adulteria exhorruerit, castitatem tenuerit; quaero si haec, cum factus fuerit fidelis, amittit, quia per baptismum totum, quod vetus homo gesserit, putatur auferri? Adspiciamus gentilem hominem Cornelium orationibus atque eleemosynis revelationem Petrumque ipsum vidisse: numquid per baptismum haec illi ablata sunt, propter quae baptismum ei videtur esse concessum? Si ita creditur, mihi credite, non modicum erratur: quia quidquid bene gestum fuerit, et secundum praecepta legis custoditum, non potest agenti deperire, quod quia ex Dei mandato efficitur, non potest dici peccatum: et quod peccatum non est, solvi inter peccata omnino non debet. Eritque integrum aestimare, aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quia ex Dei sit voluntate completum.

Cap. III. 7. Ventum est ad tertiam quaestionem, quae pro sui difficultate longiorem exigit disputationem: cum nos dicamus, ab haereticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput. Et ubi

vulnus infixum est, medicina adhibenda est, ut possit recipere sanitatem [1]). Quae sanitas post vulnus secuta, sine cicatrice esse non poterit: atque ubi poenitentiae remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse. Nam si, ut legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit (Num. 19. 22.): quomodo id ei tribuetur, quod munditia ac puritas consuevit accipere? Sed e contra asseritur, eum qui honorem amisit, honorem dare non posse: nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, et verum est. Certe quia quod non habuit dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit: et qui comparticeps factus est damnationis,

[1]) Vulneratum habent caput ordinati ab haereticis propter sacrilegium, talis enim ordinatio est sacrilega. Possunt quidem tales recipere sanitatem per reditum ad Ecclesiam et poenitentiam, sed ita ut remaneat cicatrix; privantur enim ordinationis honore et privilegiis, ordinum exercitio (si quosdam excipias casus cf. supra ep. II. al. 3. n. 2.), sicut etiam illi irregulares erant, qui poenitentiam canonicam subierant (cf. supra ep. I. Siricii n. 18.). Quomodo enim illis ordinationis honor tribui potest, qui nonnisi illis tribuitur, qui vitam irreprehensibilem duxerint? Hic est sensus hujus disputationis.

quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum [1]).

Cap. IV. 8. Sed dicitur vera ac justa legitimi sacerdotis benedictio auferre omne vitium, quod a vitioso fuerat injectum. Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri atque omnium criminum rei, quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus sit poenitentiae locus, quia id potest praestare ordinatio, quod longa satisfactio praestare consuevit. Sed nostrae [2]) lex est Ecclesiae, ve-

---

[1]) Non negat Innocentius ordinationis ab haereticis factae valorem, cum is eo tempore luculenter praesertim ab Augustino contra donatistas fuerit defensus, parisque efficaciae haberentur ordinatio et baptismus (cf. Aug. l. 2. c. ep. Parmen. n. 28). Hinc ipse Innocentius permittebat in casu necessitatis, ut extra Ecclesiam ordinati citra novam ordinationem post suum ad Ecclesiam reditum ordines receptos possent exercere. Cf. ep. II. c. 1. Id unum significat, qui legitimam ordinationem non habet ordinationisque honore est privatus, ordinationis conferre non posse honorem ita, ut ordinati legitime ordines exercere queant. Hinc ait: Quomodo debeat *honorem* accipere, non vero: quomodo debeat *ordinationem* accipere, et supra *honorem* dare non posse etc.

[2]) Legem illam sanxerat, vel potius ut ab apostolis apostolicisve viris traditam confirmarat concilium Italiae Cod. can. eccl. Afri. cap. 56. memo-

nientibus ab haereticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare[1]). At vero ii, qui a Catholica ad haeresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per poenitentiam suscipi, apud vos non

---

ratum. Ibi afri, quamvis aequitatem legis hujus agnoscant, legationem tamen ad Anastasium Innocentii decessorem decernunt, rogaturi ut de severitate ejus propter clericorum inopiam, qua ecclesiae ipsorum laborabant, nonnihil sibi remittatur. Eidem legi morem gerens Augustinus epist. olim 73. nunc 245. n. 2. Possidio scripsit: „De ordinando autem qui in parte Donati baptizatus est, auctor tibi esse non possum:“ tametsi statim subdat: „Aliud est enim facere si cogaris, aliud consulere ut facias.“ Legenda omnino afrorum ad Joannem II. epistola 8., qua requirunt „quomodo arianorum sacerdotes ad catholicam fidem suscipi oporteat, utrumne in suis honoribus, an in laica communione.“ Moxque subjiciunt: „Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus, ut in suis honoribus suscipiantur.“ Addunt et inferius: „Non solum de sacerdotibus, sed de ipsis quoque parvulis apud eos baptizatis, utrum soleant vel debeant ad clericatum, si petierint, applicari consulimus.“ Cypriani epist. 72. ad Stephanum ea de re sententia haec est: „Satis est talibus revertentibus veniam dari, non tamen debet in domo fidei perfidia promoveri.“

[1]) Haec spectant non ad jam ordinatos ab haere-

solum poenitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur.

Cap. V. 9. Sed Anysii quondam fratris nostri aliorumque consacerdotum summa deliberatio haec fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Vicimus, ut opinor, ambigua [1]). Jam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse, ac fuisse regulas veteres, quas ab apostolis vel apostolicis viris traditas ecclesia romana custodit, custodiendasque mandat eis, qui eam audire consueverunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat: quia alius est ordo

---

ticis, sed ad laicos ab haeresi redeuntes. Hos cavet Innocentius antiquae innixus Ecclesiae disciplinae ad ordines promoveri, eo quod ordinatio non tollat irregularitates, defectus, sed supponat ordinandos irreprehensibiles.

[1]) Vicit Innocentius i. e. solvit ambigua respondens, quando cum ordinationis honore recipiendi sint ii, qui ab haereticis sunt ordinati, scil. in casu necessitatis vel magni Ecclesiae commodi; et quando non sint ita recipiendi.

legitimus, alia usurpatio, quam tempus fieri ad praesens impellit.

10. Sed canones apud Nicaeam constituti de novatianis fieri permiserunt [1]). Prius ille canon a patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere, vel quid vel qualiter sensum sit ab eisdem vel praeceptum. „De his, inquit, qui nominant se ipsos Catharos, id est mundos, et aliquando veniunt ad catholicam Ecclesiam, placuit sanctae et magnae synodo, ut accepta manus impositione, sic maneant in clero.“ Possum vero dicere, de solis hoc novatianis esse praeceptum, nec ad aliarum haeresum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent, a novatianis aliisque haereticis revertentes debere in suo ordine recipi. Quod ita esse, etiam illud maxime, quod de paulianistis dictum est, poterit confirmare, a quibus venientes etiam baptizari praecipiunt. Numquidnam, cum de paulianistis jubent, omnes qui ab haereticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipsis tantum esse praeceptum ratio ipsa demonstrat. Denique baptizatos

---

[1]) Haec sibi in persona eorum, quos pontifex dedocet, sibi objicit.

rite ab evangelista Philippo, Petrus et Joannes sola manus impositione consummant. Illos vero, quos apostolus Paulus Joannis baptismate baptizatos reperit, interrogavitque an Spiritum sanctum suscepissent, fatentibusque se illud ne quidem nomen audisse, jussit eos baptizari. Videtis ergo rite baptizatos illo dono iterari non posse: et aliter, sola aqua lotos baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritu sancti necessarium pervideri. Ita et de novatianis tantum jussum esse, lucida manifestatione relegitur. Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus, ratio manifesta declarat, quia paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizant; et novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est, Patris et Filii et Spiritus sancti, quaestio aliquando commota est, et ideo omnibus segregatis haec sola electa est, cui istud crederent concedendum, quia nihil in Patris et Filii et Spiritus sancti sacramento peccarent.

11. Si quis vero de Catholica ad haeresim transiens, aut fidelis ad apostasiam reversus, resipiscens redire voluerit, numquid eadem

ratione poterit ad clerum [1]) permitti, cujus commissum nonnisi longa poenitentia poterit aboleri? Nec post poenitentiam clericum fieri ipsi canones sua auctoritate permittunt. Unde constat, qui de Catholica ad Bonosum transierunt [2]) damnatum, atque se passi sunt,

---

[1]) Quod deinde ait Innocentius, clericum post poenitentiam fieri per canones non licere, nititur regulis ante nicaenam synodum constitutis, quas haec ipsa synodus can. 10. notat his verbis: „Quicunque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam vel per ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiae non praejudicat regulae; cogniti namque deponuntur.“ Regulam hanc, quam et Siricius epist. 1. n. 18. confirmat, Augustinus epist. 185. n. 44. prudenter constitutam docet, tum „ut desperatione temporalis altitudinis medicina major et verior esset humilitatis,“ tum ut revertentium sincerior esset conversio; quia forte patres sint „experti aliquorum fictas poenitentias per affectatas honorum potentias.“ Tertiam ejusdem decreti rationem non minus firmam Siricius loco citato addit: quia nimirum „quamvis mundati, nulla tamen gerendorum sacramentorum instrumenta debent suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.“ Quartam infra Innocentius exponit. Quintam tangit Simplicius epist. 18. „ne qui diu convincitur fuisse perversus, per speciem remeantis non remedium salvationis inquirat, sed facultatem propogandae pravitatis inveniat.“ Coust.

[1]) Hoc est, postquam damnatus est in concilio episcoporum Illyrici, ad quod causa ejus a capuensi

aut cupierunt, ab eodem ordinari, non oportuisse ordinationis ecclesiasticae suscipere dignitatem, qui commune omnium ecclesiarum judicium deserentes, suam peculiariter in Bonoso vanitatem sequendam esse duxerunt.

12. Sed multos constat vim passos, atque invitos attractos repugnantesque ab eodem ordinatos. Dicat mihi, volo, quisquis hoc credit: si non post ordinationem Bonosi [1]) interfuit, cum conficeret sacramenta; si communioni ejus participatus non est; si statim discedens de ejus pessimo conciliabulo, ad

---

synodo delata fuerat. Hinc liquet, tota illa tertia quaestione de unis clericis a Bonoso ordinatis disceptatum esse. Neque in hoc versabatur quaestio, utrum ii, quos haereticus ille ante concilium Illyrici ordinaverat, recipiendi essent. In hoc quippe concilio Anysius cum collegis Bonosum damnans, ne cum illo remanerent ab eo ordinati, illos in suis gradibus recipiendos esse constituerat, et hoc decretum Innocentius supra n. 9. approbat. Sed de iis agebatur, qui postquam Anysii Macedonumque judicio damnatus esset Bonosus, ordinati ab illo fuerant. Coust.

[1]) I. e. a Bonoso collatam. Occurrit hic Innocentius alteri exceptioni ac novam rationem exponit, cur erga eos, qui ab haereticis ordinati veniunt, ne ad clerum admittantur, difficilem se praebeat. Ceterum bene ex ipsa horum agendi ratione, de quibus est sermo, evincit eos dici non posse invitos ordinatos.

Ecclesiam rediit: iste talis potest habere excusationis aliquem colorem. Ceterum qui vel post annum vel menses ad Ecclesiam redierunt, intelligitur eos, quia in Catholica noverant se propter vitia sua non posse suscipere ordinationem, idcirco ad illum perrexisse, qui passim et sine ulla discussione ordinationes illicitas faciebat, credentes se posse per istam institutionem in Ecclesia catholica invenire locum, de quo ante desperabant. Nunc illud quod superest, interrogo: qui post mensem aut eo amplius rediit, cum se presbyterum a Bonoso confideret ordinatum, si non sacramenta confecit, si non populis tribuit, si Missas secundum consuetudinem non complevit, quid de his censeatis, quaeso, promatis apertius. Ad summam certe qui nihil a Bonoso acceperunt [1]), rei sunt usurpatae dignitatis, qui conficiendorum sacramentorum sibi vindicaverunt aut non vindicaverunt auctoritatem, atque id se putaverunt esse, quod eis nulla fuerat regulari ratione concessum.

Cap. VI. 13. Pervideat ergo dilectio vestra

---

[1]) I. e. *legitime*, supponit enim eos habere dignitatem, sed usurpatam, nulla regulari ratione concessam, hinc eos *reos* dicit.

hactenus talia transisse, et advertite, quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam ecclesias constitutas non praesumere [1]). Sed, ut saepe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem vindicari non potest, inultum solet transire, priora dimittenda dico Dei judicio, et de reliquo maxima sollicitudine praecavendum.

Cap. VII. 14. Veniam nunc ad maximum quasi quoddam thema Photinum, et quod est mihi anxium ac difficillimum, majorum meorum revolvam [2]) sententias. Fuerat de illo quoquo pacto, ut etiam ipsi commeministis, aliquid utique gravius constitutum. Verum quia id per rumorem falsum, ut asseritis, subreptum huic sedi et elicitum per insidias demonstratis, quia res ad salutem rediit [3]); et vel veniam nos hanc in tantum,

---

[1]) Sensus videtur: Necessitate urgente talia inulta transierunt, tolerata fuere; sed cum ecclesiae jam pace fruantur, ejusmodi legum ecclesiasticarum transgressiones non ultra sunt praesumendae.

[2]) Revolvam i. e. revocabo; eas vero non sine anxietate revocabat.

[3]) Particulae, *et vel*, a Dionysio primum supressae, ac deinde in coll. Hisp. et Isid. praetermissae, e sex sincerioris notae mss. revocantur. Harum ope

vobis annitentibus, post condemnationem ore apostolico subrogamus, tantisque vestris assertionibus, vobis tam bonis, tam caris, non dare consensum, omnibus duris rebus durius arbitramur. Pro vestra ergo approbatione, fratres carissimi, et sententia ac postulatione, Photinum episcopum habetote licitum ita constituere ut deprecamini, et nostram in melius conversam sententiam labore vel testimonio vestro compotes voti suscipite.

15. Atque Eustathium a me saepissime comprobatum nolite exspectare, ut diaconii gratia exspolietur. Sollicitos enim vos pro salute libenter audio: contra caput etiam si faciendum sit, non libenter admitto. Cui manum porrigitis, vobiscum porrigo, cui porrigo, mecum porrigite. Haec enim ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, ut in uno spiritu [1]) dictam ac reductam sententiam

---

mollit Innocentius et amovet invidiam vocis *veniam*, quasi diceret: Photinus quidem, quem reum non esse contestamini venia non indiget: sed si reus fuisset, vel veniam, quam ei concessistis, ratam non habere durius existimo.

[1]) Respicit Innocentius ad verba Pauli tum 1. Cor. 5. 4. ubi sententiam adversus Corinthium in-

boni semper indifferenter sequantur. Nam, fateor, haec me primum res bene habet erga Eustathium diaconum, quod nec contra fidem quidquam locutus sit, nec loquentem admiserit, nec ad mortem crimen aliquod commisisse, vel jactatum unquam vel fictum recognoverim. Et qui in his salvus est, si quo pacto conversationes amabiles non habet, habendus est ut minus pro tempore dilectus, non ut inimicus [1]) aestimatur diabolo in perpetuum mancipandus. Cognosco illum inter illas simultates ac turbines contra multorum studia, non dico qualia, diversa sensisse, et hinc cum res ac calamitates ipsae emendatae sint, ad hoc usque Dizoniani et Cyriaci subdiaconorum non potuisse apud vos reviviscere commendatione. Exstinguite, quaeso, ab illo praedictisque quorumcunque videtis animosas ac non justas aemulationes, ut ipse apud nos integer, apud vos cum suis reparatus,

---

cestus reum dicit, tum 2. Cor. 2. 6. ubi dictam reducit ac revocat.

[1]) Eustathium non diaconii tantum gratia spoliatum, sed et anathemate perculsum fuisse hinc colligitur: quod valde durum adversus hominem, a quo nec contra fidem quidquam dictum, nec crimen ad mortem admissum esse ullus unquam vel jactavit vel finxit.

profundam pacem, non fictam pervidens caritatem, omnibus vobis ac singillatim occurrat, caritatis vinculis, quae nullis modis a Christo solvuntur, vobiscum pariter in perpetuum connexus laetetur in Domino. Data Idibus Decembris Flavio Constantio viro clarissimo consule.

EPISTOLA V.

INNOCENTII I.

AD ALEXANDRUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM [1]).

1. Quod prima sedes beati Petri apud Antiochiam esse memoretur. 2. Quod non oporteat secundum constituta Imperatorum duos esse metropolitanos episcopos. 3. Quod arianorum clerici non sint suscipiendi in suis officiis, quamvis baptisma, quod per eos datur, confirmet Ecclesia.

Innocentius Alexandro episcopo.

Cap. I. 1. Et onus et honor nobis a tua fraternitate impositus, necessarii tractatus causas induxit [2]), quo literis vel commonitorio vestro, ut dat Sancti Spiritus gratia,

---

[1]) In editione Coustantii 24. Scripta est haec epistola c. a. 415.

[2]) I. e. respondendi nesessitatem mihi imponit.

respondere possimus. Revolventes itaque auctoritatem nicaenae synodi, quae una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quae censuit de antiochena ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super dioecesim suam praedictam ecclesiam, non super aliquam provinciam [1]) recognoscimus constitutam. Unde advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio christiana, et quae conventum [2]) apo-

---

[1]) Hoc est, quam non provinciae uni, sed toti Orientali dioecesi, quae quindecim provinciis constabat, praeesse debere constituit.

[2]) Apostolorum conventum Antiochiae celebratum etiam Gregorius Pisinuntensium episcopus in nicaeno II. concilio tomo 7. conciliorum Labbei non tantum laudat, sed et canonem pro imaginibus ex eo profert. Eruditi tamen nullum ibi apostolorum conventum habitum censent. Qua de re vide Tillemontium to. 1. hist. eccl. pag. 525. Sed is Innocentii locus saltem argumento est, non recens fuisse scriptum illud, quod pro antiocheno concilio ab apostolis celebrato praedictus episcopus laudavit; adeoque spernendam non esse quam ille pro imaginibus ex eo protulit auctoritatem: non quo canon ille apostolis vere adjudicetur, sed quo non recentior saeculo IV. esse verisimiliter credatur.

stolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quaeque urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet. Itaque arbitramur, frater carissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos literis datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si aestimas, ad manus impositionem tuae gratiae statuas pervenire. Quorum enim te maxima exspectat cura [1]), praecipue tuum debent mereri judicium.

Cap. II. 2. Nam quod sciscitaris, utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duae metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari; non esse e re visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari; honoresque aut divisiones perpeti quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos convenit numerari.

---

[1]) Exspectat, idem quod *spectat*, ad te *pertinet*.

3. Cyprios sane asseris olim arianae impietatis potentia fatigatos, non tenuisse nicaenos canones in ordinandis sibi episcopis, et usque adhuc habere praesumptum, ut suo arbitratu ordinent, neminem consulentes. Quocirca persuademus eis, ut curent juxta canonum fidem [1]) catholicam sapere, atque unum cum ceteris sentire provinciis, ut appareat sancti Spiritus gratia ipsos quoque ut omnes ecclesias gubernari.

---

[1]) Hortatur Innocentius cyprios, ut curent sapere juxta catholicam canonum intelligentiam. Non Alexander tantum, sed et successores ejus cypriorum episcoporum ordinationes sibi arrogarunt: sed reclamarunt constanter cyprii. De hac controversia extat ephesinae synodi actio 7., in qua cum Zeno Carii Cypri episcopus dixisset: „A sanctis apostolis nunquam possunt ostendere, quod adfuerit antiochenus et ordinaverit, vel communicaverit unquam insulae ordinationis gratiam; sancta synodus dixit: Memor sit sancta synodus canonis (6.) sanctorum patrum in Nicaea congregatorum, qui conservat unicuique priscam dignitatem.“ Vide et quae antecedunt et quae consequuntur. Hoc autem in negotio Innocentius, cyprii et ephesina synodus in eo consentiunt, quod omnes velint nicaenos canones servari. Neque auctor fuit Innocentius cypriis, ut ab antiocheno praesule ordinari se paterentur, nisi quatenus ex Alexandri fide pro certo ponebat, illos sibi hoc jus contra priscum morem usurpasse. Coust.

Cap. III. 4. Arianos praeterea ceterasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine poenitentiae [1]) ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti perficitur, nec sanctum Spiritum eos habere ex illo baptis-

---

[1]) Apposite ad mentem hujus papae scribit Augustinus l. 5. c. donatistas c. 2: „Manus impositio, si non adhiberetur ab haeresi venientibus, tamquam extra omnem culpam esse judicarentur. Propter caritatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus s., sine quo non valent ad salutem quaecunque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur.“ At haec manus impositio rem poenitentiae non habebat, h. e. vestium sordes, crebra jejunia aliosque luctuosae poenitentiae labores et apparatus, quibus subjiciebantur, qui a fidelium coetu segregati ad eundem nonnisi post longam satisfactionem admittebantur. Hujus igitur poenitentiae adumbratio duntaxat et imago erat. Coustantius. Qui tamen a catholica Ecclesia ad haereticos defecerant iterumque baptizati fuerant, non sub imagine tantum poenitentiae recipiebantur, sed ad longam agendam poenitentiam obligabantur, ut patet ex ep. 1. (al. 2. supra) Innocentii n. 11.

mate illisque mysteriis arbitramur: quoniam cum a catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt. Nec dare ejus plenitudinem possunt [1]), quae maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suae perfidiam potius, quam fidem dixerim, perdiderunt. Qui fieri potest, ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus [2]) arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad sancti Spiritus percipiendam gratiam cum poenitentiae imagine recipiamus? Gravitas itaque tua haec ad notitiam coepiscoporum vel per synodum, si potest, vel per harum reci-

---

[1]) Luculentum habes hic testimonium, quo ostendatur ordinationem esse ritum efficacem gratiae, hinc sacramentum.

[2]) Huc spectat quod donatistae, quibus clericatus honor servandus promittebatur, apud Augustinum epist. 185. n. 44. objiciunt: „Si ergo oportet, ut nos extra Ecclesiam et adversus Ecclesiam fuisse poeniteat; quomodo post istam poenitentiam apud eos clerici vel etiam episcopi permanemus?“ Quibus respondet Augustinus: „Hoc non fieret, quoniam revera, quod fatendum est, fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.“ Fieri autem non deberet, quia Christi honoribus non sunt digni, qui reprehensionis expertes non sunt.

tationem faciat pervenire: ut quae ipse tam necessario percontatus es, et nos tam elimate respondimus, communi omnium consensu studioque serventur.

EPISTOLA VI.

INNOCENTII I. AD DECENTIUM EUGUBINUM EPISCOPUM.

(EX DIONYSIO EXIGUO.)

1. De pacis osculo dando post confecta mysteria. 2. De nominibus ante precem sacerdotis non recitandis. 3. Quod non debeant baptizati nisi ab episcopo consignari. 4. Quod rite omni sabbato jejunetur. 5. De fermento, quod civitatis tantum presbyteris dirigatur. 6. De energumenis baptizatis. 7. De poenitentibus. 8. De epistola S. Jacobi apostoli, in qua pro infirmis orare praecipitur.

Innocentius Decentio episcopo Eugubino salutem [1].

---

1. Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum

[1]) In editione Coustantii 25. Scripta est 19. Martii 416.

fuerit, hoc aestimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri, aut celebrari videntur; ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana praesumptione corruptas, putent sibi aut ecclesias non convenire, aut ab apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam.

2. Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a principe apostolorum Petro romanae ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari; nec superduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? praesertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius apostolorum invenitur, aut legitur docuisse [1]). Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod ecclesia romana cu-

[1]) Quae non ita sunt intelligenda, quasi neget Innocentius ullum apostolum praeter Petrum his in regionibus fuisse, sed quod eorum nullus sedem et cathedram stabilem fixerit, ut Petrus Romae.

stodit, a qua eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

3. Saepe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse, non dubium est, et quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in ceteris agendis arcanis teneat, cognovisse. Quod sufficere ad informationem ecclesiae tuae, vel reformationem, si praecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, satis certum haberemus, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondimus, non quod te aliqua ignorare, credamus, sed ut majori auctoritate vel tuos instituas, vel si qui a romanae ecclesiae institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut scire valeamus qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius ecclesiae, quam romanae, existimant consuetudinem esse servandam.

Cap. I. 4. Pacem igitur asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum post omnia, quae aperire non debeo, pax sit [1]) ne-

---

[1]) Merlin. ac plures mss. *necessaria.* Non unus

cessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, quae in mysteriis aguntur atque in ecclesia celebrantur, praebuisse consensum ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.

Cap. II. 5. De nominibus vero recitandis, antequam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, et ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandae, ac tunc eorum nomina quorum sunt

---

hac in re fuit ecclesiarum usus. In constitutionibus Apostolorum Clementis nomine vulgatis lib. 2. c. 61. *oblationem* excipit pacis osculum. Immo pacis osculum, Justino martyre apolog. 2. ad Antoninum Pium teste, ipsam oblationem antecedebat. „Precibus finitis," inquit, „mutuis nos osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus praeest, offertur panis et poculum aquae et vini." Ritum illum laodicena synodus can. 19. ita enunciat: „Postea quam dederit episcopus presbyteris osculum pacis, tunc laici pacem sibi tribuent, et ita sancta celebrabitur oblatio." Notanda illa Innocentii cautio ac reverentia, qua etiam episcopo scribens, de mysteriis dicit, *quae aperire non debeo.* Haec certe novae heterodoxorum de illis mysteriis opinioni locum non permittit. Coust.

edicenda; ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quae ante praemittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

Cap. III. 6. De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit, Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris, sive extra episcopum sive praesente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum. Verba vero dicere [1]) non possum, ne magis

---

[1]) Hinc non sola frontis unctione, sed et praescriptis quorundam verborum formulis confirmationis sacramentum perfectum fuisse conficitur. Verum haec verba, dum Innocentius consulto tacet, quanta antiquorum fuerit religio, ne sacramentorum mysteria re-

prodere videar, quam ad consultationem respondere.

Cap. IV. 7. Sabbato vero jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini jejunamus, sabbatum praetermittere non debemus, quod inter tristitiam atque laetitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, apostolos biduo isto et in moerore fuisse, et propter metum judaeorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quae utique forma [1]) per

---

tegerent, palam facit. Hujus rei frequentiora sunt exempla, cum illis de Eucharistia sermo est.

[1]) Supple, *jejunii ab apostolis servati.* Nam proximus de sacramentis biduo ante resurrectionem Domini non celebratis sermo tantum in transcursu fit, utpote ad asserendum sabbati jejunium unice adjectus, idque ipsa orationis series confirmat. Ait quidem Socrates lib. 5. c. 22.: „Cum omnes ubique terrarum ecclesiae per singulas hebdomadas die sab-

singulas tenenda est hebdomadas propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putant, semel atque uno sabbato jejunandum; ergo et Dominica, et sexta feria semel in Pascha erit utique celebranda. Si autem Dominici diei ac sextae feriae per singulas hebdomadas reparanda imago est; dementis est, bidui agere consuetudinem sabbato praetermisso; cum non disparem habeat causam, a sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est, quando et ad inferos fuit, ut tertia die resurgens red-

---

bati sacra mysteria celebrent, Alexandrini tamen et Romani, vetustam traditionem secuti, id facere detrectant." Sed secus suadent Gregorii Gelasiique liturgiae, quae etiam Quadragesimae sabbatis Missas praescribunt. Nec Hieronymus epist. 28. ad Lucinium scripsisset: „De sabbato quod quaeris, utrum jejunandum sit, et de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod romanae ecclesiae observare perhibentur", nisi sacra mysteria, ex quibus Eucharistia percipitur, quoitdie fuissent celebrata. Eundem Eucharistiae quotidie percipiendae usum Augustinus epist. 54. ad Januarium n. 4. tradit. Ex quo sequitur, ut et quotidie celebrata sint divina mysteria. Non enim vulgo extra illorum celebrationem Eucharistia nisi ab aegrotis percipiebatur. Id forte quod mox attulimus, dixit Socrates, quia romani alexandrinique sabbati sollemnitate in Dominicam translata, utrumque illum diem pari religione celebrare detrectarent.

deret laetitiam post biduanam tristitiam praecedentem. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum; sed dicimus et sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam apostolis, vel his qui Christum secuti sunt, indixerunt. Qui die Dominico hilarati, non solum ipsum festivissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt.

Cap. V. 8. De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiae nostrae intra civitatem sint constitutae. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum [1]) a nobis confectum

---

[1]) Fermenti nomine alii benedictum panem, qui Eucharistiae vice sit, alii vero longe plures Eucharistiam ipsam hic intelligunt. Et vero illam in Ordine romano fermenti vocabulo saepius designari Mabillonius noster observat. Neque verendum, ne hac postrema intelligentia eorum juvetur opinio, qui Eucharistiam ex fermentato pane olim in ecclesia latina confectam putant. Valde enim leve est quod inde in opinionis hujus gratiam deducitur argumentum. Quippe venerandum illud sacramentum, pro illorum temporum consuetudine, qua sacrae rei arcanum profanis tegere affectabant, cum ad ecclesias mitteretur, apposite vocatum est fermentum, ut quemadmodum fermentum

per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxima illa die, non judicent separatos. Quod per paroecias fieri debere non puto; quia nec longe portanda sunt sacramenta (nec nos per coemeteria diversa constitutis presbyteris destinamus); et presby-

---

in farinam immissum, eique commixtum totam conglutinat, ita eis quoddam unitionis atque communionis mutuae vinculum esse significaretur. Ea ratione ipse Christus etiam extra Eucharistiae sacramentum in encyclio epistolarum ad Leonem augustum missarum codice epist. 37. to. 1. concil. Lab. pag. 920. *fermentum* apellatur; ob idque concilium Calcedonense ab episcopis Phoeniciae maritimae laudatur, quod *eos, qui prodigiose, non ex Dei genitrice virgine esse nostrum* Fermentum *credunt, destruxit.* Fermenti autem vocabulo ne meram eulogiam ab Innocentio intelligi censeamus, vetat subjecta ipsius ratio, qua hunc mittendi fermenti ritum neque in eugubinam ecclesiam, neque in ceteras, quae plures intra unam civitatem titulos non haberent, convenire docet, *quia* nimirum *sacramenta non longe portanda sunt.* Nam eulogiam seu benedictum panem sine ullo discrimine longius ferri posse si quis negaret, revinceretur epistolis tum Paulini Nolani apud Augustinum 24. n. 6. 25. n. 5. et 32. n. 3. necnon ipsius Augustini epistola olim 34. nunc 31. n. 9. in quibus sanctos illos viros ab Italia in Africam ac vicissim, benedictos panes sibi invicem in unitatis seu communionis mutuae symbolum misisse legimus. Coustantius.

teri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.

Cap. VI. 9. De his vero baptizatis, qui postea a daemonio, vitio aliquo aut peccato interveniente, arripiuntur, est sollicita dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint aut debeant designari [1]). Quod hoc, nisi episcopus praeceperit, non licet. Nam eis manus imponenda omnino non est, nisi episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, episcopi est imperare, ut manus eis vel a presbytero vel a ceteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus energumenus ad episcopum deducatur, cum si talis

[1]) *Designari* idem ac *signari*. Loquitur hic pontifex non de *confirmationis sacramento*, ut praeposterе arbitratur Morinus, sed de ritu, quo ei succurratur, qui a daemonio arripitur. Hunc fuse describit Martene de antiq. Eccl. ritibus l. 3. c. 9. Ejusmodi ritus in antiquo cod. regio 3866. et altero vindocinensi p. 366. describitur. Praecipitur nimirum, ut sacerdos omnium peccatorum energumeni confessionem excipiat, „ponat manum in summitate capitis infirmi et crucem faciat tribus vicibus," ac post multas preces „*signet* eum ad frontem, ad oculos, ad aures, ad nares, ad pectus, ad os, ad pedes, ad ambas manus" propria unicuique membro benedictione adhibita. Cf. Coustantius.

casus ei in itinere acciderit, nec perferri ad episcopum, nec referri ad sua facile possit?

Cap. VII. 10. De poenitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum romanae ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis aegritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschae relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.

Cap. VIII. 11. Sane quoniam de hoc, sicuti de ceteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Coelestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati apostoli Jacobi epistola conscriptum est: *Si infirmus aliquis in vobis est; vocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit laborantem, et suscitabit illum Dominus, et si peccatum fecit, remittet ei* (Jacob. 5, 14.). Quod non

est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti christianis licet [1]), in sua aut in suorum necessitate ungendum. Ceterum illud superfluum esse videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere indubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate; sine cunctatione potest, cujus est chrisma conficere. Nam poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi [2])?

---

[1]) Hinc non sequitur, omnes fideles ministros esse extremae unctionis. Si enim nonnulli ambigebant de episcopo, praxis profecto non obtinuit, ut fidelium quisque infirmos extrema muniret unctione. Sed haec sunt intelligenda vel quod omnes christiani infirmi hoc chrismatis oleo per Ecclesiae ministros i. e. presbyteros uti possint, vel quod omnes christiani uti possint hoc oleo benedicto etiam extra infirmitatis casum tamquam *sacramentali aliquo*, ut aqua benedicta.

[2]) Censet Coustantius satis aperte hic doceri,

12. His ergo, frater carissime, omnibus, quae tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus, respondere curavimus, ut ecclesia tua romanam consuetudinem, a qua originem ducit, servare valeat atque custodire. Reliqua vero, quae scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere. Erit autem Domini potentiae, etiam id procurare, ut et tuam ecclesiam et clericos nostros, qui sub tuo pontificio divinis famulantur officiis, bene instituas, et aliis formam tribuas, quam debeant imitari. Data 14. Kalendarum Aprilium, Theodosio augusto 7. et Palladio viro clarissimo consulibus.

---

usu tum fuisse receptum, ut aliis fidelibus citra periculum mortis laborantibus concederetur haec inunctio, hinc eam denegatam fuisse poenitentibus infirmis, quibus denegabatur etiam eucharistia, non vero denegatam fuisse poenitentibus moribundis.

EPISTOLA VII.

CARTHAGINENSIS CONCILII AD INNOCENTIUM [1]).

Ut sententiae suae, qua Pelagii Coelestiique impietates damnarunt, apostolicae sedis accedat auctoritas. Ac tandem si has illi suas esse negent, quibusvis earum assertoribus anathema decernitur.

Domino beatissimo et honorandissimo sancto fratri Innocentio papae, Aurelius, Numidius, Rusticianus, Fidentinus, Evagrius, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theasius, Tutus, Pannonius, Victor, Restitutus, alius Restitutus, Rusticus, Fortunatianus, Ampelius, Ambivius, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octavius, Serotinus, Majorinus, Posthumianus, Crispulus, Victor, alius Victor, Leucius, Macianus, Fructuosus, Faustinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Megasius, Rusticus, Rufinianus, Proculus, Severus, Thomas, Januarius, Octavianus,

---

[1]) Scriptae sunt haec et sequentes duae epistolae a. 416. Illas autem idcirco exhibemus, ut Innocentii rescripta lectu dignissima atque momentosa melius intelligantur. In editione Coustantii sunt ep. 26, 27, 28.

Praetextatus, Sixtus, Quodvultdeus, Pentadius, Quodvultdeus, Cyprianus, Servilius, Pelagianus, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Bizacenus, Germanus, Germanianus, Inuenitus, Majorinus, Invenitus, Candidus, Cyprianus, Aemilianus, Romanus, Africanus, et Marcellinus, et ceteri, qui in concilio ecclesiae carthaginensis adfuimus.

---

1. Cum ex more [1]) ad carthaginensem ecclesiam sollemniter venissemus, atque ex diversis causis congregata ex nobis synodus haberetur; compresbyter noster Orosius nobis literas sanctorum fratrum et consacerdotum nostrorum dedit [2]) Herotis et Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam. His ergo lectis, Pelagium et Caelestium auctores argui nefarii prorsus et ab omnibus nobis anathemandi erroris advertimus. Unde

---

[1]) Mos eis erat, ut circa mensem Junium vel circa autumnum Carthaginem convenirent. Sed non iisdem mensibus constanter conveniebant. Quapropter illud *ex more* magis ad locum quam ad tempus attinet.

[2]) Erat Heros arelatensis, et Lazarus aquensis episcopus. Ambo e sedibus suis pulsi, cum in Palaestinam pervenissent, libellum contra Pelagium et Coelestium Eulogio caesareensi obtulerunt; cujus deinde auctoritate diospolitana synodus anno 415. congregata fuit. Memoratae autem episcoporum illorum litterae exciderunt.

factum est, ut recensendum peteremus, quid ante ferme quinquennium super Coelestii nomine hic apud ecclesiam carthaginensem fuerit agitatum. Quo recitato, sicut ex subditis [1]) advertere poterit sanctitas tua, quamvis judicatio manifesta constaret, qua illo tempore episcopali judicio excisum hoc tantum vulnus ab Ecclesia videretur; nihilo minus tamen id communi deliberatione censuimus, hujusmodi persuasionis auctores, quamvis et ad presbyterium idem Caelestius postea pervenisse dicatur; nisi haec apertissime anathemaverint, ipsos anathemari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum, qui ab eis decepti sunt vel decipi possunt, cognita sententia, quae in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, domine frater, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam apostolicae sedis adhibeatur au-

---

[1]) Gesta illa episcopalia, quae epistolae huic subnexa erant, interierunt, iis exceptis, quae M. Mercator initio Commonitorii adversus Pelagianos ex illis delibat, et quae Augustinus tum lib. 2. de peccato originali c. 3. et 4. tum. lib. de gestis Pelagii cap. 11. ex iisdem describit. Praeterea ab eodem Doctore in epistola 157. ad Hilarium n. 22. perstringuntur.

ctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorundam perversitate etiam corrigenda.

2. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiae Dei, qua christiani sumus, qua et ipsum nostrae voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (Joan.8, 36). Quod auxilium fides impetrat, quae est in Christo Jesu Domino nostro [1]). Isti autem asserunt, sicut a fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quae per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in literis datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominibus dedit. Illam vero gratiam, qua, ut dictum est, christiani sumus, cujus Apostolus praedicator est, dicens: *Conde-*

[1]) Haec sententia, „Quod auxilium fides impetrat quae est in Christo J. D. N.“ in mss. Corb. et Germ. omittitur.

lector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me sub lege peccati, quae est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. 7, 22 etc.), nolunt omnino cognoscere, nec aperte quidem oppugnare audent.

3. Sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus non percipientibus quae sunt Spiritus Dei persuadere non cessant, ad operandam perficiendamque justitiam, et Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam non attendentes quod scriptum est: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (Rom. 8. 26.): et, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. 9, 16.): et quod *unum corpus sumus in Christo Jesu, singuli autem alter alterius membra, habentes dona diversa secundum gratiam, quae data est nobis* (Rom. 12, 5.): et, *Gratia Dei sum id quod sum; et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum* (1. Cor. 15, 10.): et, *Gratias Deo, qui dedit nobis vic-*

toriam per Dominum nostrum Jesum Christum (Ibid. 57.): et, *Non quia idonei sumus aliquid cogitare quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (2. Cor. 3, 5.): et, *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei, et non ex nobis* (2. Cor. 4, 7.): et innumerabilia, quae de Scripturis omnibus si colligere velimus, tomus [1]) non sufficit. Et veremur, ne apud te ista ipsa commemorando, quae majore gratia de sede apostolica praedicas, inconvenienter facere videamur. Sed ideo facimus, quia eo, quo infirmiores sumus, quaquaversus quisque nostrum verbo Dei praedicando putatur attentior, crebrius eos patimur et audacius insurgentes.

4. Si ergo Pelagius episcopalibus gestis, quae in Oriente [2]) confecta dicuntur, etiam tuae venerationi juste visus fuerit absolutus; error tamen ipse et impietas, quae jam multos assertores habet per diversa dispersos,

---

[1]) Haec voce designari solebat epistola *synodica*.

[2]) In synodo diospolitana 14 episcoporum (a. 415); in hac enim Pelagius absolutus est, eo quod capitula sibi objecta partim sua esse negaverit, partim sua esse agnoverit quidem, sed sensu fidei catholicae consono interpretatus sit. Cf. infra ep. 9. (al. 28) n. 2.

etiam apostolicae sedis auctoritate anathemanda est. Consideret enim sanctitas tua, et pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum et exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario consequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem; quod Dominus et discipulos monuit, et posuit in oratione quam docuit (Matth. 6, 13.): aut ne deficiat fides nostra, quod pro apostolo Petro se rogasse ipse testatus est (Luc. 22, 32). Si enim haec possibilitate naturae et arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta; quis non ea videat inaniter a Domino peti, et fallaciter orari, cum orando poscuntur, quae naturae jam ita conditae sufficientibus viribus obtinentur: nec debuisse dicere Dominum Jesum: *Vigilate et orate*; sed tantummodo: Vigilate, *ne intretis in tentationem* (Matth. 26, 41.): nec beatissimo Petro primo apostolorum: *Rogavi pro te*, sed, moneo te, vel impero ac praecipio, *ne deficiat fides tua* (Lucae 22, 32.)? Contradicitur etiam istorum contentione benedictionibus nostris, ut incassum super populum dicere videamur, quidquid eis a Domino precamur, ut recte ac pie vivendo illi placeant, vel illa, quae pro fidelibus precatur Aposto-

lus dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum ejus* (Eph. 3, 14.). Si ergo voluerimus benedicendo super populum dicere: *Da illi Domine virtutem corroborari per Spiritum tuum*: istorum nobis disputatio contradicit, affirmans liberum negari arbitrium, si hoc a Deo poscitur, quod in nostra est potestate. Virtute enim corroborari si volumus, inquiunt, possumus ea possibilitate naturae, quam non nunc accipimus, sed cum crearemur accepimus.

5. Parvulos etiam propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant; ac sic eos mortifera ista doctrina in aeternum necant, promittentes, etiam si non baptizentur, habituros vitam aeternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: *Venit enim Filius hominis quaerere et salvare quod perierat* (Luc. 19, 10.): quia isti, inquiunt, non perierant, nec est quod in eis salvetur, vel tanto pretio redimatur: quia nihil est in eis vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captivum, nec pro eis fusus est sanguis, qui fusus in re-

missionem legitur peccatorum. Quamquam per baptismum Christi etiam parvulorum [1]) fieri redemptionem libello suo Caelestius in Carthaginiensi ecclesia jam confessus est. Sed multi, qui eorum perhibentur esse vel fuisse discipuli, haec mala, quibus fundamenta christianae fidei conantur evertere, quacunque possunt affirmare non cessant.

6. Unde etiamsi Pelagius Caelestiusque correcti sunt, vel se ista nunquam sensisse dicunt, et quaecumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negant, nec est quemadmodum de mendacio convincantur: generaliter tamen, quicunque dogmatizat et affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, et Dei mandata facienda sufficere posse naturam et eo modo gratiae Dei, quae sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur: et quicunque negat parvulos per baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere sempiternam,

[1]) Hoc ipsum de Caelestio Augustinus epist. 157. n. 22. ita eloquitur: „Coactus est confiteri propter baptizandos parvulos, quod et ipsis redemptio sit necessaria. Ubi, inquit, quamquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine non parum sibi praescripsit.“

anathema sit. Quaecumque autem alia eis objiciuntur, non dubitamus venerationem tuam, cum gesta episcopalia perspexerit, quae in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis domine beatissime papa.

EPISTOLA VIII.

MILEVITANI CONCILII

AD INNOCENTIUM PAPAM.

Ut inimicorum gratiae Christi perniciosam haeresim quam primum auctoritate sua coerceat.

Domino beatissimo meritoque venerabili et in Christo honorando papae Innocentio, Silvanus senex, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alypius, Augustinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Possidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Malchus, Littorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Cresconius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Processus, Cresconius, Secundus, Felix, Asiaticus, Rufinianus, Faustinus, Servus, Terentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Faustinus, Cresconius, Victor, Gigantius, Possidonius, Antoninus, Innocentius, Praesidius, Crescentius, Felix, Antoninus, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Praesidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus ex concilio milevitano in Domino salutem.

---

1. Quia te Dominus gratiae suae praecipuo munere in sede apostolica collocavit,

talemque nostris temporibus praestitit, ut nobis potius ad culpam negligentiae valeat, si apud tuam venerationem quae pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quaesumus, adhibere digneris.

2. Nova quippe haeresis et nimium perniciosa tentat assurgere inimicorum ratiae Christi, qui nobis dominicam etiam orationem impiis disputaionibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. 6, 12.): isti dicunt, posse hominem in hac vita, praeceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiae sine adjutorio gratiae Salvatoris per solum liberae voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra*: illud vero quod sequitur: *Ne nos inferas in tentationem* (Ibid. 13.), non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus; sed hoc in nostra esse positum potestate, et ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem; tamquam frustra Apostolus di-

xerit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. 9, 16.): et, *Fidelis Deus, qui vos non permittit tentari super id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (1. Cor. 10, 13.). Frustra etiam Dominus dixerit apostolo Petro: *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua* (Lucae 22, 32.); et omnibus suis, *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Matth. 26, 41.), si hoc totum est potestatis humanae. Pueros quoque parvulos, etsi nullis imbuantur christianae gratiae sacramentis, habituros vitam aeternam nequaquam christiana praesumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. 5, 12.): et alio loco: *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (1. Cor. 15, 22.). Ut ergo alia omittamus, quae contra sanctas Scripturas plurima disserunt, haec interim duo, quibus omnino totum quod christiani sumus conantur evertere, quae fidelia corda sustineant, non esse rogandum Deum ut contra peccati malum atque ad operandam justitiam sit noster adjutor, et non opitulari parvulis ad

consequendam vitam aeternam christianae gratiae sacramentum.

3. Haec insinuantes apostolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, et tantam impietatem verbis exaggerare; cum procul dubio te ista permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius serpant, multosque contaminent, vel potius interimant, dum sub nomine Christi a gratia Christi penitus alienant, omnino dissimulare non possis. Hujus autem perniciosissimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius et Caelestius, quos quidem in Ecclesia sanari malumus, quam desperata salute ab Ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat. Quorum unus, id est Caelestius, etiam ad presbyterium in Asia[1])

---

[1]) Rem ita narrat Mar. Mercator Common. c. 1. edit. Baluz. p. 133. Caelestius de sex capitulis in carthaginensi concilio accusatus, eaque damnare jussus, sed „nullo modo acquiescens, ecclesiastica communione privatus est. A qua sententia ad romani episcopi examen credidit appellandum: qua mox idem appellatione neglecta, Ephesum Asiae urbem contendit, ibique ausus est per obreptionem locum presbyterii petere." Antea circa exitum anni 411. teste Augustino epist. 157. n. 22. Carthagine constitutus, „in ejusdem civitatis ecclesia jam ad presbyterii honorem subrepere coeperat: sed fidelissima libertate fratrum propter has ipsas contra Christi gratiam

pervenisse dicitur. De quo ante paucos annos quid gestum fuerit, sanctitas tua de carthaginensi ecclesia [1]) melius instruitur. Pelagius vero, sicut a quibusdam fratribus nostris missae loquuntur epistolae, Jerosolymis constitutus nonnullos fallere asseritur. Verumtamen multo plures, qui ejus sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro gratia Christi, et catholicae fidei veritate confligunt, sed praecipue sanctus filius tuus, frater et compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, qui te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuae, de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptae facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros; ut de correctione potius eorum congratulemur, quam contristemur interitu, domine beatissime. Quodlibet autem ipsi eli-

---

disputationes usque ad judicium episcopale perductus est. Exstat ad eum Nestorii epistola apud Mar. Mercatorem pag. 131. „honorabili et religiosissimo presbytero Coelestio“ inscripta.

[1]) Quia scilicet carthaginiensis ecclesia seu synodus superiori epistolae 26. gesta subnexuerat alterius concilii super Coelestii nomine ante annos ferme quinque Carthagine habiti.

gant, certe vel aliis, quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua instanter et celeriter providendum. Haec ad sanctitatem tuam de concilio Numidiae scripta direximus, imitantes carthaginiensem ecclesiam et carthaginiensis provinciae coepiscopos nostros, quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. *Et alia manu*: Memor nostri in Dei gratia augearis, domine beatissime, meritoque venerabilis et in Christo honorande, sancte papa.

EPISTOLA IX.

EPISCOPORUM QUINQUE

AD INNOCENTIUM PAPAM.

Pelagii retegunt ac refutant haeresim, qua ad cupiditates domandas tentationesque vincendas, necnon ad perficienda Dei mandata solam sibi naturam humanam per liberum arbitrium sufficere contendebat: ac sicubi gratiam praedicaret, eum ibi vel liberum arbitrium, vel peccatorum remissionem, vel legis praeceptum intelligere, aliudque proprio gratiae nomine a fidelibus intelligi ostendunt. Quod item ait, hominem posse sine peccato esse si velit, quo sensu vere, quove etiamsi non sine errore, tolerabiliter tamen dicatur, explicant.

Domino beatissimo, meritoque honorandissimo fratri Innocentio papae Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius et Possidius in Domino salutem.

---

1. De conciliis duobus, provinciae Carthaginiensis atque Numidiae, ad tuam sanctitatem a non parvo episcoporum numero subscriptas litteras misimus contra inimicos

gratiae Christi, qui confidunt in virtute sua, et creatori nostro quodam modo dicunt: Tu nos fecisti homines, justos autem ipsi nos fecimus, qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quaerant liberatorem; ideo salvam, ut superfluum judicent salvatorem. Tantum enim dicunt valentem, ut suis viribus semel in origine suae creationis acceptis, possit per liberum arbitrium, nihil ulterius adjuvante illius gratia qui creavit, domare et exstinguere omnes cupiditates tentationesque superare. Multique eorum insurgunt adversum nos, et dicunt animae nostrae: *Non est salus illi in Deo ejus* (Psal. 3, 3.). Familia Christi, quae dicit: *Quando infirmor, tunc fortis sum* (2. Cor. 12, 10); et cui dicit Dominus ejus: *Salus tua ego sum* (Psal. 34, 3.), suspenso corde cum timore et tremore adjutorium Domini etiam per caritatem tuae venerationis exspectat.

2. Audivimus enim esse in urbe Roma, ubi ille [1]) diu vixit, nonnullos qui diversis causis ei faveant: quidam scilicet, quia eis talia persuasisse perhibetur; plures vero, qui eum talia sentire non credunt; praesertim quia in Oriente, ubi degit, gesta ecclesia-

[1]) I. e. Pelagius.

stica facta esse jactantur, quibus putatur esse purgatus, ubi quidem si episcopi eum catholicum pronunciarunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia se dixit Dei gratiam confiteri, et ita posse hominem suo labore ac voluntate juste vivere, ut ad hoc adjuvari Dei gratia non negaret. His enim auditis verbis, catholici antistites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere, et populis Dei praedicare consueverunt, eam utique de qua dicit Apostolus: *Non irritam facio gratiam Dei; nam si per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (Gal. 2, 21): sine dubio gratiam qua justificamur ab iniquitate, et qua salvamur ab infirmitate; non qua creati sumus cum propria voluntate. Nam si intellexissent illi episcopi eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habemus, cum quibus homines sumus; negare vero eam, qua christiani et filii Dei sumus: quis eum patienter catholicorum sacerdotum non dicimus audiret, sed ante oculos suos ferret? Quapropter non culpandi sunt judices, quia ecclesiastica consuetudine nomen gratiae audierunt, nescientes quid hujusmodi homines vel in suae doctrinae libris, vel in suorum solent auribus spargere.

3. Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortasse correctus est, quod utinam ita sit: sed de tam multis, quibus loquaciter contendentibus, et infirmas atque ineruditas animas velut convinctas trahentibus, firmas autem et in fide stabiles ipsa contentione fatigantibus, usquequaque jam plena sunt omnia. Aut ergo a tua veneratione accersendus est Romam, et diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, si tamen jam fateatur, ad non peccandum justeque vivendum homines adjuvari: aut hoc ipsum cum eo per literas agendum. Et cum inventus fuerit hanc dicere, quam docet ecclesiastica et apostolica veritas, tunc sine ullo scrupulo Ecclesiae, sine latibulo ambiguitatis ullius, absolvendus est, tunc est re vera de ejus purgatione gaudendum.

4. Sive enim dixerit, gratiam esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis praeceptum; nihil eorum dicit, quod per submministrationem Spiritus sancti pertinet ad concupiscentiam tentationesque vincendas, quem ditissime effudit super nos(Tit.3,6.)qui ascendit in coelum et captivans captivitatem dedit dona hominibus (Ephes.4. 8.). Hinc enim oramus, ut peccatorum tentationem superare pos-

simus, ut Spiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet infirmitatem nostram (Rom. 8, 26). Qui autem orat et et dicit: *Ne nos inferas in tentationem* (Matth. 6, 13.), non utique id orat, ut homo sit, quod est natura; neque id orat, ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit cum crearetur ipsa natura; neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superius dicitur: *Dimitte nobis debita nostra* (Matth 6, 12.); neque orat ut accipiat mandatum: sed plane orat, ut faciat mandatum. Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est, in tentatione defecerit, facit utique peccatum, quod est contra mandatum. Orat igitur ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali: quod pro corinthiis orat Apostolus, dicens: *Oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali* (2. Cor. 13, 7.). Unde satis apparet, quod ad non peccandum, id est, ad non male faciendum [1]), quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi adjuvetur infirmitas. Ipsa igitur oratio clarissima est

---

[1]) Quod non sic est intelligendum, ac si nullum peccatum absque Dei gratia vitare possimus, sed de *habituali* abstinentia seu immunitate a peccato.

gratiae testificatio. Hanc ille confiteatur, et eum gaudebimus sive rectum, sive correctum.

5. Distinguenda est lex et gratia. Lex jubere novit, gratia juvare. Nec lex juberet, nisi esset voluntas: nec gratia juvaret, si sat esset voluntas. Jubetur ut habeamus intellectum, ubi dicitur: *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (Psal. 31, 9.): et tamen oramus ut habeamus intellectum, ubi dicitur: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (Psal. 118, 125). Jubetur ut habeamus sapientiam, ubi dicitur: *Stulti aliquando sapite* (Psal. 93, 8.): et tamen oratur ut sapientiam habeamus, ubi dicitur: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei* (Jacob. 1, 5.). Jubetur ut habeamus continentiam, ubi dicitur: *Cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum* (Sap. 8, 21.). Postremo ne nimium longum sit cuncta percurrere, jubetur ut non faciamus malum, ubi dicitur: *Declina a malo* (Psal. 36, 27.): et tamen oratur ut non faciamus malum, ubi dicitur: *Oramus autem ad Dominum, ne*

quid faciatis mali (2. Cor. 13, 7.). Jubetur ut faciamus bonum, ubi dicitur: *Declina a malo, et fac bonum* (Psal. 36, 27.) et tamen oratur ut faciamus bonum, ubi dicitur: *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes* (Coloss. 1, 9.): atque inter cetera, quae illis orat, dicit: *Ut ambuletis digne Deo in omne placitum, in omni opere et sermone bono* (Ibid. 10.) Sicut ergo agnoscimus voluntatem cum haec praecipiuntur; sic et ipse agnoscat gratiam cum petuntur.

6. Misimus reverentiae tuae librum, quem dederunt quidam religiosi et honesti adolescentes servi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timasius et Jacobus vocantur. Qui, sicut audivimus, et etiam nosse dignaris, ipsius Pelagii exhortatione spem quam habebant in seculo reliquerunt, et nunc continentes Deo serviunt. Qui cum eodem errore tandem aliquando per qualemcunque operam nostram Domino inspirante caruissent, protulerunt eundem librum, Pelagii esse dicentes, et ut ei responderetur, impendio rogaverunt. Factum est: ad eosdem rescripta est ipsa responsio: agentes gratias rescripserunt [1]). Utrumque misimus,

---

[1]) Responsio continetur Augustini libro *de natura*

et cui responsum est, et quod responsum est. Et ne nimium essemus onerosi, signa fecimus his locis, ubi petimus inspicere ne graveris, quemadmodum sibi objecta quaestione quod gratiam Dei negaret, ita respondit, ut eam esse non diceret, nisi naturam, in qua nos condidit Deus.

7. Si autem hunc esse suum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus: anathemet illa, et eam confiteatur apertissime gratiam, quam doctrina christiana demonstrat, et praedicat esse propriam christianorum, quae non est natura, sed qua salvatur natura: quae naturam non auribus sonante doctrina, vel aliquo adjumento visibili fovet sicut plantator quodam modo et irrigator extrinsecus, sed subministratione Spiritus et occulta misericordia, sicut facit ille, qui dat incrementum Deus (1. Cor. 3, 7.). Etsi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, aut arbor quae non sentit, aut pecus quod non intelligit; sed homines, qui et essemus, et viveremus, et

---

et gratia: illorum vero adolescentum gratiarum actio ep. 168. inter ep. Augustini.

sentiremus, et intelligeremus; et de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere valeamus; unde merito et ista gratia dici potest, quia non praecedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamen, qua praedestinati vocamur, justificamur, glorificamur ut dicere possimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 32.).

8. De hac gratia quaestio vertebatur, quando ab his, quos Pelagius graviter offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quod eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret non solum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam. Hanc apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, qua salvamur et justificamur ex fide Christi. De hac scriptum est: *Non irritam facio gratiam Dei. Nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (Galat. 2, 21.) De hac scriptum est: *Evacuati estis a Christo, qui in Lege justificamini, a gratia excidistis* (Galat. 5, 4.). De hac scriptum est: *Si autem gratia jam non ex operibus; alioquin gratia jam*

non est gratia (Rom. 11, 6.). De hac scriptum est: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (Rom. 4, 4.). Et multa alia, quae melius potes ipse meminisse, et intelligere prudentius, et illustrius praedicare. Illam vero gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen si ita appellatam in ullis legitimis, propheticis, evangelicis apostolicisque literis legimus.

9. Cum itaque de hac gratia, christianis fidelibus catholicisque notissima, illi objiceretur quaestio, ut eam oppugnare desineret; quid est quod cum hoc sibi in libro suo velut ab adversante persona idem ipse objecisset, ut se respondendo purgaret, nihil aliud respondit, nisi naturam [1]) creati hominis re-

---

[1]) Solus Quesn. „naturam creati referri ad gratiam creatoris.“ Istud *referre* id est quod *in se exhibere ac repraesentare.* Ipsa Pelagii verba Augustinus lib. de nat. et grat. c. 51. exscribit ac refert in hunc modum: „Ipsa non peccandi possibilitas non tam in arbitrii potestate, quam in naturae ne-

ferre gratiam creatoris; atque ita se dicere, sine peccato impleri posse justitiam per liberum arbitrium cum adjutorio divinae gratiae, quod Deus hoc dederit homini ipsa possibilitate naturae?

10. Cui merito respondetur: *Ergo evacuatum est scandalum crucis. Ergo Christus gratis mortuus est* (Galat. 2, 21. 5, 11.). Num enim, si non moreretur propter delicta nostra et resurgeret propter justificationem nostram (Rom. 4, 25.), nec adscenderet in altum et captivans captivitatem daret dona hominibus (Eph. 4, 8.), ista naturae possibilitas, quam defendit, in hominibus non esset? An forte Dei mandatum deerat, et ideo Christus mortuus est? Imo jam et hoc erat sanctum et justum et bonum (Rom. 7, 12.). Jam dictum fuerat: *Non concupisces* (Exod. 20, 17.):

---

cessitate est. Quidquid in naturae necessitate positum est, ad naturae pertinere non dubitatur auctorem, utique Deum. Quomodo ergo absque Dei gratia dici existimatur, quod ad Deum proprie pertinere monstratur?“ Ibi, inquit statim Augustinus, „expressa est sententia, quae latebat. Ideo Dei gratiae tribuit non peccandi possibilitatem, quia ejus naturae Deus auctor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit.“

jam dictum fuerat: *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum* (Levit. 19, 18.). In quo sermone Apostolus omnem legem dicit impleri (Rom. 13, 9.). Et quoniam nisi diligat Deum, nemo diligit se ipsum; ideo Dominus in his duobus praeceptis totam legem prophetasque dicit pendere. Quae duo praecepta jam erant hominibus divinitus data. An aeternum praemium justitiae promissum nondum erat? Hoc ipse non dicit, qui in suis literis posuit, etiam in veteri Testamento regnum coelorum esse promissum. Si ergo ad faciendam perficiendamque justitiam jam erat naturae possibilitas per liberum arbitrium, jam erat legis Dei sanctum et justum bonumque mandatum, jam erat promissum praemium sempiternum: ergo Christus gratis mortuus est.

11. Ergo neque per legem justitia, neque per naturae possibilitatem; sed ex fide ac dono Dei per Jesum Christum Dominum nostrum unum mediatorem Dei et hominum. Qui nisi in plenitudine temporis mortuus esset propter delicta nostra, et resurrexisset propter justificationem nostram; profecto et antiquorum fides evacuaretur, et nostra. Fide vero evacuata, quae homini justitia remaneat, cum justus ex fide vivat (Rom. 1, 17.)? Ex

quo enim per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt (Rom. 5, 12.): procul dubio a corpore mortis hujus, ubi lex alia repugnat legi mentis (Rom. 7, 24. et 21.), neminem liberavit aut liberat sua possibilitas, quae perdita redemptore indiget, saucia salvatore: sed gratia Dei per fidem unius mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Jesu (1. Tim. 2, 5.); qui et Deus cum esset, hominem fecit et manens Deus, homo factus refecit ipse quod fecit.

12. Puto autem quod eum lateat, fidem Christi, quae postea in revelationem venit, in occulto fuisse temporibus patrum nostrorum, per quam tamen etiam ipsi Dei gratia liberati sunt, quicunque omnibus generis humani temporibus liberari potuerunt, occulto judicio Dei, non tamen vituperabili. Unde dicit Apostolus: *Habentes autem eundem spiritum fidei* (utique eundem, quem et illi) *secundum quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: et nos credimus propter quod et loquimur* (2. Cor. 4, 13.). Inde est, quod ait ipse mediator: *Abraham concupivit videre diem meum; et vidit, et gavisus est* (Joan. 8, 56). Inde

Melchisedech, prolato sacramento mensae dominicae, novit aeternum ejus sacerdotium figurare (Gen. 14, 18.). Jam vero data in literis lege, quam dicit Apostolus subintrasse ut abundaret delictum (Rom. 5. 20.), et de qua dicit: *Si ergo ex lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahae autem per repromissionem donavit Deus. Quid igitur lex? Transgressionis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est, dispositum per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quae posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (Galat. 3, 18. etc.). Nonne satis ostenditur hoc actum esse per legem, ut peccatum agnosceretur, et praevaricatione augeretur? *Ubi enim lex non est, nec praevaricatio* (Rom. 4. 15.): et sic adversus victoriam peccati ad divinam gratiam, quae in promissionibus est, confugeretur: atque ita lex non esset adversus promissa Dei, quia ideo per illam fit cognitio peccati, et ex praevaricatione legis abun-

dantia peccati, ut ad liberationem quaerantur promissiones Dei, quod est gratia Dei; et incipiat esse in homine justitia, non sua, sed Dei, hoc est, data dono Dei.

13. Quam etiam nunc quidam, *ignorantes Dei justitiam*, sicut et tunc de judaeis dictum est, *et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti* (Rom. 10, 3.) Per legem quippe et illi justificari se arbitrantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est, justitia sua prolata ex natura humana, non donata ex gratia divina, propter quod justitia Dei dicitur. Unde item scriptum est: *Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem et prophetas* (Rom. 3, 21.). Cum dicit *manifestata est*, ostendit quia et tunc erat, sed tamquam illa pluvia, quam Gedeon impetravit, tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area manifesta. Cum ergo lex sine gratia, non mors peccati potuisset esse, sed virtus; sic enim dictum est: *Aculeus mortis peccatum, virtus autem peccati lex* (1. Cor. 15, 56.), sicut confugiunt multi a facie regnantis peccati ad gratiam, velut in area nunc patentem; ita pauci ad eam confugiebant velut in vellere tunc

latentem. Haec vero temporum distributio refertur ad altitudinem divitiarum sapientiae et scientiae Dei, de qua dictum est: *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus* (Rom. 11, 33)!

14. Quapropter si et ante tempus legis, et tempore ipso legis, justos patres ex fide viventes, non possibilitas naturae infirmae et indigae ac vitiatae et sub peccato venumdatae, sed Dei gratia per fidem justificabat, et nunc eadem in apertum jam veniens revelata justificat; anathemet ergo Pelagius scripta sua, ubi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen per ignorantiam disputat, possibilitatem defendendo naturae ad vincenda peccata, et implenda mandata. Aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa, quae sua esse negat, anathemet ea tamen et damnet paterna exhortatione et auctoritate sanctimoniae tuae. Si vult ergo, onerosum sibi et perniciosum discat Ecclesiae scandalum auferre: quod scandalum auditores et in perversum dilectores ejus usque quaque spargere non quiescunt. Si enim cognoverint eundem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, episcoporum catholicorum auctoritate, et maxime sanctitatis tuae, quam apud eum esse

majoris ponderis minime dubitamus, ab eodem ipso esse anathematum atque damnatum, non eos ulterius existimamus ausuros loquendo contra gratiam Dei, quae revelata est per passionem et resurrectionem Christi, pectora fidelia et simpliciter christiana turbare: sed potius, adjuvante misericordia Domini, concertantibus nobiscum caritate ac pietate flagrantibus orationibus tuis, non solum ut in aeternum beati, verum etiam justi et sancti sint, non in sua virtute, sed in eadem gratia confisuros. Unde et ad ipsum scriptam ab uno nostrum epistolam, ad quem per quendam orientalem diaconum, civem autem hipponensem, tamquam purgationis suae[1]) quaedam scripta transmisit, tuae bea-

---

[1]) Hunc locum alter ille libri Augustini de gestis Pelagii c. 32. illustrat: „In chartula defensionis suae, quam mihi per quendam Charum nostrum hipponensem civem, orientalem autem diaconum misit, fecit aliquid quod aliter se habeat, quam gestis episcopalibus continetur. Quod autem habent gesta, longe melius est ac firmius et enodatius pro catholica veritate contra illius haeresis pestem.“ Ex quo manifestum est Pelagium vocasse „purgationis suae scripta vel gesta“ (seu ut loquitur Augustinus epist. olim. 252. nunc 179. n. 7. „quandam a se conscriptam velut defensionem suam, qua se dixit objectis respon-

titudini potius credidimus dirigendam, melius judicantes et petentes, ut eam ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potius non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quam qui scripsit attendens.

15. Illud vero quod dicunt, posse hominem esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire si velit, quamvis cum hoc per adjutorium gratiae, quae tamen per incarnationem Unigeniti ejus revelata atque donata est, dicitur, tolerabilius dici videatur: tamen quoniam non immerito movere potest, ubi et quando per eandem gratiam id efficiatur in nobis, ut sine ullo prorsus peccato simus, utrum in hac vita, quando caro concupiscit adversus spiritum; an vero in illa, cum fiet sermo qui scriptus est: *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? aculeus enim mortis peccatum est* (1. Cor. 15. 55); diligentius pertractandum propter alios

---

disse gallorum") quae ad Augustinum miserat adulterata diospolitanae synodi gesta. De his rursum Augustinus in eodem libro de gestis Pelagii c. 29. ita loquitur: „Quaelibet purgationis suae gesta protulerit." Neque hinc minus perspicuum est, ab episcopis quinque *unius nostrum* nomine Augustinum intelligi, cujus quidem epistola tunc missa excidit, et ad nos non pervenit.

quosdam [1]), qui senserunt, atque in suis literis memoriae mandaverunt, etiam in hac vita esse posse hominem sine peccato, non ab initio nativitatis suae, sed conversione a peccatis ad justitiam, et a via reproba ad bonam vitam. Sic enim intellexerunt, quod de Zacharia et Elisabeth scriptum est, ambulasse eos *in omnibus justificationibus Domini sine querela* (Luc. 1,6). Hoc quod dictum est *sine querela*, sine peccato dictum acceperunt, non quidem negantes, imo etiam, quod aliis locis in literis eorum invenitur, pie confitentes adjutorium gratiae Domini nostri, non per naturalem spiritum hominis, sed per principalem Spiritum Dei. Qui parum videntur considerasse, ipsum Zachariam fuisse utique sacerdotem. Omnes autem tunc sacerdotes necesse habebant ex lege Dei primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde

---

[1]) Inter hos fuit et Ambrosius in Luc. 1, 6. Ceterum quod hic episcopi isti proponunt tamquam nondum extra omnem controversiam positum, utrum scil. homo per adjutorium Dei possit omne vitare peccatum, mox in concilio carthaginensi a. 418. cc. 6—8 (cf. opusc. t. 2. p. 127. annot.) definitum fuit. Hinc et Augustinus in posterioribus ll. non amplius haesitanter loquitur.

pro populi (Hebr. 7, 27.). Sicut ergo nunc per orationis sacrificium convincimur non esse sine peccato, quoniam jussi sumus dicere: *Dimitte nobis debita nostra* (Matth. 6, 12.): ita et tunc per sacrificia victimarum animalium convincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis jubebantur offerre. Quod si res ita se habet, ut per gratiam Salvatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, caritate crescente; perficiamur autem in illa vita, cupiditate exstincta, caritate completa: profecto illud quod scriptum est: *Qui natus est ex Deo, non peccat* (1. Joan. 3, 9.) secundum ipsam caritatem dictum est, quae sola non peccat [1]). Ad nativitatem quippe, quae ex

---

[1]) I. e. Qui natus est ex Deo ac proinde charitatem Dei per Spiritum s. diffusam habet in corde, qua talis, quatenus charitate est praeditus non peccat: quod si peccat, peccat qua nondum perfecte renatus, qua adhuc filius Adami, secundum eam partem, quae repugnat adhuc legi mentis, charitati. Quod si perfecte erit regenitus et hinc consumpta concupiscentia, quando una penitus dominabitur charitas (quod erit in altera vita) perfecte adimplebuntur verba illa 1. Joan. 3, 9: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Deo est, augenda et perficienda caritas pertinet, non ea quae minuenda est et consumenda cupiditas: quae tamen, quam diu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis (Rom. 7, 23.). Sed natus ex Deo, nec obediens desideriis ejus, nec exhibens membra sua arma iniquitatis peccato, potest dicere: *Jam non ego operor illud, sed illud quod habitat in me peccatum* (Rom. 7, 20.).

16. Sed quoquo modo se habeat ista quaestio, quia etsi non invenitur homo in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adjutorium gratiae et Spiritus Dei, quod ut fiat, conandum atque poscendum est; tolerabiliter in eo quisque fallitur; nec diabolica impietas, sed error humanus est elaboranda et optanda affirmare, etiam si quod affirmat non possit ostendere. Id enim credit fieri posse, quod certe laudabile est velle. Nobis autem sufficit, quod nullus in Ecclesia Dei fidelium reperitur in quolibet provectu excellentiaque justitiae, qui sibi audeat dicere, non necessariam precationem orationis dominicae: *Dimitte nobis debita nostra* (Matth. 6, 12.); et dicat se non habere peccatum, ne se ipsum decipiat, et in eo veritas non sit (1. Joan. 1, 10.), quamvis jam sine

querela [1]) vivat. Non enim qualecunque etiam tentationis humanae, sed grave peccatum est, quod in querelam venit.

17. Cetera quae illi objecta sunt, sicut gestis defensa perviderit, ita de his procul dubio tua beatitudo judicabit. Dabit sane nobis veniam suavitas mitissima cordis tui, quod prolixiorem epistolam fortassis, quam velles, tuae misimus sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus; sed in hac non parva tentatione temporis, unde nos liberet cui dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*, utrum etiam noster licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiae consolari.

---

[1]) I. e. sine gravi crimine, ut mox explicatur. Possunt proinde justi ordinariis gratiae auxiliis adjuti peccata graviora vitare, sed non citra speciale Dei privilegium omnia vel levissima peccata venialia (Conc. trid. sess. 6. can. 23).

EPISTOLA X.

INNOCENTII AD CARTHAGINIENSE CONCILIUM.

Innocentius episcopis Carthaginiensis concilii rescribens, eorum adversus Pelagianos haereticos doctrinam atque sententiam laudat et confirmat.

Innocentius Aurelio, Numidio, Rusticiano, Fidentiano Evagrio, Antonio, Palatino, Adeodato, Vincentio, Publiano, Theasio, Tuto, Pannonio, Victori, Restituto, alteri Restituto, Rustico, Fortunatiano, Ampelio, Ambivio, Felici, Donatiano, Adeodato, Octavio, Serotino, Majorino, Posthumiano, Crispulo, Victori, alteri Victori, Leucio, Mariano, Fructuoso, Proculo, Faustiniano, Quodvultdeo, Candorio, Maximo, Megasio, Rustico, Rufiniano, Proculo, Severo, Thomae, Januario, Octaviano, Praetextato, Sixto, Quodvultdeo, Pentadio, Quodvultdeo, Cypriano, Servilio, Pelagiano, Marcello, Venantio, Didymo, Saturnino, Bizaceno, Germano, Germaniano, Invenito, Majorino, Invenito, Candido, Cypriano, Romaniano, Aemiliano, Africano, Marcellino, et ceteris, qui in Carthaginiensi concilio adfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

---

1. In [1]) requirendis Dei rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, ma-

---

[1]) Edit. concil. „Inquirendo de his rebus.“ Verius

xime a vero justoque et catholico tractari concilio, antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum

---

mss. Remig. Corb. et Germ. „In requirendis Dei rebus," eamque lectionem confirmat Afrorum epistola ad Theodorum papam in concilio lateranensi sub Martino I. act. 2. cujus exordium ex Innocentii verbis ac sententiis expressum, hic repraesentare juverit. [illegible] incipiunt: magnum et indeficientem omnibus [illegible]stiani fluenta redundantem apud apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam *in requirendis Dei rebus*, quae omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut hujus auctoritate, justa quae fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae velut de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis." Coust.

referendum approbastis esse judicium, scientes quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala damnare novimus, quam probare laudanda [1]). Vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret: ut tota hujus auctoritate justa quae fuerit pronunciatio firmaretur; indeque sumerent ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi regiones puri [2]) latices

---

[1]) Haec sicut summam spirant auctoritatem et ex hujus auctoritatis conscientia ab Innocentio proferuntur, ita simul auctoritatem significant *falli nesciam*, cum veri sit authentica norma.

[2]) Hujus exordii materiam maxime sumsit Innocentius ex eo, quod episcopi quinque ad calcem epistolae superioris sibi scripserant: „Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti refundimus . . . utrum etiam noster licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus.“

capitis incorrupti manarent), quid [1]) praecipere, quos abluere, quos veluti coeno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret.

2. Gratulor igitur, carissimi fratres, quod per fratrem et coepiscopum nostrum Julium literas ad nos destinastis: et cum illis curam geritis quibus praesidetis ecclesiis, sollicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis: et per cunctas totius orbis ecclesias omnibus una quod prosit, decernendum esse deposcitis: ut suis constabilita regulis Ecclesia, et hoc, quo illos caveat, pronunciationis justae firmata decreto, talibus patere

[1]) Ita mss. Germ. et Corb. At plures alii cum edit. Rom. et concil. *quid praecipere.* Deinde in codice Germ. *quos absolvere,* ubi in aliis *quos abluere.* Apud Quesn. et Aug. repositum est *quid praeciperent, quos abluerent.* Nostra lectio, in qua nihil non veterum codicum auctoritate fulcitur, integra erit, si post verba *quos abluere*, subaudiatur *deberent.* Neque temere sentiamus hic triplicem hominum sese Ecclesiae judicio sistentium classem distingui, et ejusdem Ecclesiae circa illos judiciorum triplicem rationem, ex triplici aquae proprietate repetitam, exponi. Illa enim velut aqua munda innoxios et incontaminatos tamquam puros rivulos ultro in se recipit; sordidatos vero, sed poenitentes, abluit; et incorrectos, qui eam commaculare valeant, prudens vitat et respuit.

non possit, qui perversis instructi, imo destructi, verborum argutiis, sub imagine catholicae fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, ut hominum recte sentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quaerunt evertere disciplinam. Sanandum ergo celerius, ne longius exsecrandus animis morbus irrepat: sicut medicus, cum viderit hujus terreni corporis aliquem esse languorem, magnum suae artis aestimat documentum, si cito quis illius interventu desperatus evadat; vel cum putre vulnus adspexerit, adhibet fomenta, vel cetera, quibus illud possit quod natum fuerat vulnus obduci; ac si id manens sanari non poterit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputat quod nocebat, quo reliquum integrum servet et intactum. Praecidendum id ergo est, quod velut puro sanoque nimium corpori vulnus obrepsit; ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus hujus mali non exhaurienda post sentina considat.

3. Nam quid nos de his posthac rectum mentibus aestimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur? Sed jam isti, qui tales sunt, nullam Dei gratiam

consequuntur [1]); qui sine illo tantum assequi se posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant, et accipere promerentur. Quid enim tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam christianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere quidquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere quod natus es? Ergo eris tibi in providendo praestantior, quam potest in eo esse, qui te ut esses effecit? Et cui putes debere, quod vivis, quomodo non putas illi debere quod quotidianam ejus consequendo gratiam taliter vivis? Et qui nos adjutorio negas indigere divino, quasi ex nostra simus in totum possibilitate perfecti, quomodo non adjutorium ejus in nos, cum tales a nobis etiam esse possumus, provocamus [2])?

---

[1]) *Nullam Dei gratiam consequuntur*, quia gratiam omnibus praeparatam et oblatam superbi, quasi ea non indigeant, respuunt. Cf. infra n. 7.

[2]) Sensus videtur exigere, ut deleatur particula negans *non* in illo inciso: quomodo *non* adjutorium, vel pro *non* legatur *nos*. Utitur enim pontifex argumento, quod saepissime apud patres in controversiis cum pelagianis occcurrit, ex oratione petito. Si in nostra potestate, in viribus naturaliter nobis insitis situm est, ut perfecti evadamus, quomodo postulamus, ora-

4. Qui enim adjutorium Dei negat, vellem interrogare quid dicat: nos non mereri, an illum hoc non posse praestare, an nihil esse propter quod unusquisque hoc debeat postulare? Posse hoc Deum, opera ipsa testantur. Et adjutorio quotidiano nos egere, negare non possumus. Hoc enim seu bene vivimus, provocamus, ut melius sanctiusque vivamus; seu prave sentientes a bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam praeceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium cum nasceremur accepimus, ultra jam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus; quasi jam amplius quod possit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit: nescientes, quod nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenae labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium?

---

tionibus bonisque operibus provocamus in nos Dei auxilium?

5. Nam si ille clamat adjutorio sibi opus esse divino, qui digne hoc non quaereret, si cui liberum arbitrium plus prodesset; quippe cum vir beatus et jam electus a Domino nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur, postulans: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus* (Psal. 26, 9.): nos nobis liberum arbitrium, ille sibi Deum postulat adjutorem; quod nati sumus posse sufficere nos dicimus, ille Deum ne derelinquatur exorat. Non, rogo, manifeste discimus quid oremus, cum ille tantopere beatus, ut supra diximus, vir ne despiciatur exoptat? Illi enim necesse est ista arguant, qui illa confirmant. David enim orationis ignarus, et suae naturae nescius[1]) accusetur, qui cum sciat tantum in sua inesse natura adjutorem sibi Deum, et assiduum adjutorem, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat, orationibus pronus exoptat; et per corpus omne psalterii hoc et praedicat et clamat. Si ergo hoc ille ita magnus scit, ut assidue diceret; ita necessarium confessus est, ut doceret: quemadmodum Pelagius Coelestiusque seposita omni responsione psalmorum, talique abdi-

---

[1]) *Nescius* forte idem hic ac *oblitus*.

cata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adjutorium Dei nec debere quaerere, nec egere; cum omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur?

6. Liberum enim arbitrium olim ille perpessus [1]), dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in praevaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit; suaque in aeternum libertate deceptus, hujus ruinae jacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus: qui per novae regenerationis purificationem omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit; et ejus firmans statum, quo rectius stabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posteram non negavit. Nam quamvis redemisset hominem a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi [2]), quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit: quotidiana praestat ille remedia, quibus nisi freti

---

[1]) *Perpessus* i. e. expertus; expertus est Adamus, quid possit subtrahens se gratiae solo libero arbitrio.

[2]) *Sibi* i. e. homini; vel *apud se* multa servavit, quae conferret ad hominis iterum peccantis reparationem.

confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.

7. Sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse. Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiae, qua dicat adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se catholicae fidei, et Dei beneficiis profitetur ingratum. Nam nec nostra communione sunt digni, quam praedicando taliter polluerunt. Ipsi enim sua sponte, dum sequuntur illa quae dicunt, longius a vera religione refugerunt. Cum enim hoc totum in nostra professione consistat, quotidianisque precibus nihil agamus, nisi quemadmodum Dei misericordiam consequamur; quemadmodum ferre possumus ista jactantes? Quis, rogo, tantus illorum pectora error obcaecat, ut si ipsi nullam Dei gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur; nec de aliis considerent, quid quotidie singulis gratia divina largiatur? Sunt quidem isti omni caecitate dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerunt, ut se auxilio credant revocari ab erroribus posse divino. Negantes enim adjutorium, non aliis, sed sibi hoc penitus abstulerunt: qui avellendi sunt longius et ab

Ecclesiae procul removendi visceribus; ne diu inultus multa occupans, insanabilis post error increscat. Si enim diu fuerint sub hac impunitate versati, necesse est multos in hanc suae pravitatem mentis inducant decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem catholicam nunc sequuntur. Putabunt enim eos recte sentire, quos adhuc vident in Ecclesia perdurare. Separetur ergo a sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi saevientis afflatu, cautius quae sunt sincera perdurent, et grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sit totius corporis illibata perfectio, quam vos sequi et tenere hac in illos pronunciatione cognovimus, et una vobiscum pari assensione servamus.

8. Qui si tamen aliquod in se Dei adjutorium, quod hucusque negaverunt, provocarint, et opus sibi ejus auxilio esse cognoverint, ut hac labe, in quam sui cordis incurvatione corruerant, liberentur, et quasi in lucem de foeda tracti caligine, remotis abdicatisque omnibus, quibus totus, ne verum aspiceret, foedabatur et caligabatur adspectus, damnent, haec, quae hucusque senserunt; et aliquando animum rectis disputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, veris se sanandos con-

siliis tribuant atque submittant. Quod si fecerint, erit in potestate pontificum, istis aliquatenus subvenire, et talibus aliquam curam praestare vulneribus, quam solet lapsis, cum resipuerint, Ecclesia non negare: ut a suis revocati praecipitiis intra ovile Domini redigantur: ne foris positi, et tanto praesidio a fide munitionis exclusi periculis omnibus exponantur, devorandi luporum dentibus atque vexandi, quibus obsistere hac, qua illos in se irritaverant, doctrinae perversitate non possint.

9. Sed satis vestris monitis sic abundantibus nostrae legis exemplis probatur esse responsum. Nec quidquam superesse duximus quod dicamus, cum nihil praetermissum a vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati et penitus cognoscantur esse convicti. Ideoque a nobis testimonia nulla ponuntur, quia in his plena relatio est, et satis constat tot doctissimos sacerdotes cuncta dixisse: nec decet credere vos aliquid, quod ad causam possit proficere, praeterisse. *Et alia manu*: Bene valete fratres. *Et ad latus*: Data VI. Kal. Febr. post consulatum Theodosii Augusti VII. et Junii Quartii v. c. [1])

[7]) Id est 27. Jan. a. 417.

EPISTOLA XI.

INNOCENTII PAPAE

ad

CONCILIUM MILEVITANUM.

Patres concilii Milevitani laudat, tum quod haereticos pertinaces segregandos, et correctos censuerint recipiendos, tum quod canones ubique receptos secuti apostolicae sedis de rebus anxiis sententiam petierint. Inde probat haeresim, quae hominem sibi sine Dei gratia posse sufficere vult ac baptismum parvulis ad vitam aeternam necessarium negat, contra Scripturas pugnare. Hujus auctores, eorumque sectatores ab Ecclesia abscidi jubet, sed si errores damnant, suscipi.

Innocentius Silvano seni, Valentino et ceteris, qui in Milevitana synodo interfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

---

1. Inter ceteras romanae ecclesiae curas, et apostolicae sedis occupationes, quibus di-

versorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater et coepiscopus noster Julius dilectionis vestrae literas, quas ex milevitano concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, carthaginiensis etiam synodi querelae parilis scripta subjungens. Nimirum exsultat Ecclesia, tantam sollicitudinem commissis gregibus exhibere pastores, ut non solum neminem ex his patiantur errare; sed si quas magis ovium scaevae delectationis herba seduxit, ac si in errore permanserint, aut segregari penitus velint, aut illicenter dudum petita [1]) vitantes, custodiae pristinae circumspectione tutari: in utraque parte videlicet consulentes, ne vel suscipiendo tales simili ceterae ducantur exemplo; vel spernendo redeuntes luporum morsibus videantur ingestae. Prudens admodum et catholicae fidei plena consultio. Quis enim aut tolerare possit errantem, aut non recipere corrigentem? Nam ut durum arbitror, conniventiam praebere peccantibus; ita impium judico, manum negare conversis.

2. Diligenter ergo et congrue apostolici consulitis honoris arcana (honoris, inquam,

---

[1]) *Illicenter dudum petita*, quae illicite antea appetierunt, secuti sunt.

illius, quem praeter illa quae sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum) super anxiis rebus quae sit tenenda sententia [1]): antiquae scilicet regulae formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verum haec missa facio: neque enim hoc vestram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmastis, nisi scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? Praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris [2]) auctorem referre debere, velut nunc rętulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malorum, ad duplicis relationem synodi,

---

[1]) Id est apostolicam sedem, cujus est arcana retegere, aperire.

[2]) Utpote „a quo ipse episcopatus ac tota auctoritas nominis hujus emersit“ quemadmodum in epistola superiori n. 1. habet; seu, ut Siricius epist. 5. n. 5. loquitur, „per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium:“ quod et Innocentius noster epist. I. al. 2. n. 2. exscribit.

sententiae nostrae statutis viderint ab ecclesiastica communione sejunctos. Gemino igitur bono caritas vestra fungetur. Nam et canonum potiemini gratia servatorum, et beneficio vestro totus orbis utetur. Quis enim catholicorum virorum cum adversariis Christi velit ulterius miscere sermonem? quis saltem ipsam lucem vitae communione partiri? Novae haereseos nimirum fugiantur auctores.

3. Quid enim acerbius in Dominum fingere potuerunt, quam cum adjutoria divina cassarent, causamque quotidianae precationis auferrent? Hoc est dicere: Quid mihi opus Deo? Merito in hos dicat hymnidicus: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem sibi* (Psalm. 51, 9.). Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina: qua privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitae perficienda mandata sola tantummodo libertate contendat. O pravissimarum mentium perversa doctrina! Advertens tandem, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in praevaricationem praesumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis

statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset adventus: audiat David dicentem: *Adjutorium nostrum in nomine Domini* (Psalm. 123, 8.); et, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus* (Psalm. 26, 9.). Quae in cassum dixerit, si tantum in ejus erat positum voluntate, quod a Domino flebili sermone poscebat.

4. Quae cum ita sint, cumque in omnibus divinis paginis voluntati liberae nonnisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse coelestibus praesidiis destitutam; quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter, ut asseritis, defendentes, sibimet, imo, quod est dignius dolore communi, jam plurimis Pelagius Coelestiusque persuadent? Multifariis equidem ad destruendum tale magisterium uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatem vestram ad plenum Scripturas omnes callere divinas praesertim cum vestra relatio tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat praesens dogma rescindi; opusque non esse reconditis, cum et iis, quae facile vobis occurrentia posuistis, nec audeant obviare, nec possint. Ergo Dei gratiam conantur auferre quam necesse est etiam restituta nobis statu

pristini libertate quaeramus; quippe qui nec alias diaboli machinas nisi eadem possumus juvante vitare.

5. Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci: fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verum, ut superfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis possit ratione discingi [1]), proclamat hoc Dominus in Evangelio dicens: *Sinite infantes, et nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim regnum caelorum* (Lucae 18, 16).

6. Quare Pelagium Coelestiumque, id est, inventores vocum novarum, quae, sicut dixit Apostolus, aedificationis nihil, sed magis va-

---

[1]) *Discingi* i. e. convelli, omni robore et auctoritate privari.

nissimas consueverunt parere quaestiones (2. Tim. 2, 24.), ecclesiastica communione privari apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem; eosque interim dominico ovili non recipi, quod ipsi perversae viae secuti tramitem deserere voluerunt. Abscidendi sunt enim, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi (Galat. 5, 12.). Simul autem praecipimus, ut quicunque id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat; *non solum* enim *qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (Rom. 1, 32.) [1]): quia non multum interesse arbitror inter committentis animum, et consentientis favorem. Addo et amplius: plerumque dediscit errare, cui nemo consentit. Haec igitur, fratres carissimi, in supradictos maneat fixa sententia: absint atriis Domini, careant dumtaxat custodia pastorali [2]), ne duarum ovium dira contagia serpant forsitan per vulgus incautum, rapa-

---

[1]) Supple, „constringere par vindicta debet."

[2]) *Careant custodia pastorali*, i. e. non habeantur a pastoribus ovium instar, excludantur ab ovili. *Dumtaxat* forte idem ac *certe*, *profecto*.

cique lupus corde laetetur intra ovile dominicum tantas ovium fusas catervas, dum a custodibus dissimulanter habetur vulnus duarum. Prospiciendum est ergo, ne permittendo lupos, mercenarii magis videamur esse, quam pastores. Jubemus sane (quoniam Christus Dominus noster propria voce signavit, nolle se mortem morientis, tantum ut revertatur et vivat (Ezech. 33, 11.), si unquam ad sanum deposito pravi dogmatis errore resipuerint, damnarintque ea, quorum se ipsi praevaricatione damnarunt, eis medicinam solitam, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negari: ne dum eos redeuntes forsitan prohibemus, vere extra ovile remanentes exspectantis hostis rabidis faucibus glutiantur, quas in semetipsos spiculis malae disputationis armarunt. Bene valete fratres. Data sexto Kalendas Februarii, Honorio et Constantio viris clarissimis consulibus [1]).

---

[1]) Id est, 27. Jan. 417. scil. eadem die, qua praecedens.

EPISTOLA XII.

INNOCENTII AD QUINQUE EPISCOPOS AFROS.

Rescribit Innocentius quinque episcopis, quid de eorum sententia, quid de Pelagii perfidia sentiret, se jam satis notum fecisse: haeretici hujus fautores, si Romae sint, latere; sed ubivis degant damnandos esse, eorumque saluti prospiciendum: Pelagii in Palaestina purgationem sibi valde esse suspectam; sed judices ejus nec culpare se, nec approbare; nihil opus esse ut eum Romam accersat, certe librum illius blaphemiis refertum esse: si ipse errores anathemet, facilius revocatum iri quos seduxit; sed his saltem consulendum.

Innocentius Aurelio, Alypio, Augustino, Evodio, Possidio episcopis salutem.

---

1. Fraternitatis vestrae literas, plenas fidei, totoque religionis catholicae vigore firmatas, a duobus missas conciliis per fratrem et coepiscopum nostrum Julium pergrato suscepimus animo, quod earum tenor om-

nisque contextio in consideratione quotidianae gratiae Dei, et in eorum correctione, qui contra sentiunt, integra ratione consistit: ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneum, dato quovis nostrae legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possint praebere doctorem. Sed de his jam satis, ut opinor, supra diximus, cum vestris relationibus respondentes, rescripsimus quid vel de illorum perfidia, vel de vestra sententia sentiremus. Sed subinde contra eos subvenit et suppeditat quod dicatur: nec potest aliquando esse quod vincat, cum tam miserum impiumque sit, quod nostrae fidei virtute et ipsa plenius veritate vincatur [1]). Qui enim omnem vitae spem respuit atque contempsit, inimica damnabilique cor suum disputatione confundens, cum credit nihil esse quod a Deo accipiat, nec aliquid superesse quod petat ad sanandum se; qui sibi hoc abstulit, ulterius quid reliquit?

2. Si ergo sunt aliqui, quos in sui defensionem perversitas tanta devinxit, qui huic

---

[1]) Sensus est: Non potest aliquando fieri, ut id vincat dogma, quod tam miserum tamque impium est, ut fidei nostrae virtute et ipsa veritate plenissime vincatur.

se dogmati dedant atque conjungant, sperantes hoc ad catholicam pertinere doctrinam, quod abhorrens longius et penitus approbatur adversum, affectu illorum [1]) et monitis et verbis ut laberentur inducti, quatenus ad rectum viae tramitem redeant, festinabunt, ne diutius mentem obsidens velut eorum sensibus pastus error invadat. Nam si Pelagius, quocunque restitit loco, eorum animos, qui facile vel simpliciter crederent disputanti, hac affirmatione decepit, seu hac illi in urbe sint, quod nescientes nec manifestare possumus nec negare, cum et si sunt lateant, nec aliquando audeant vel illum praedicantem ista defendere, vel talia aliquo nostrorum praesente jactare, et in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facile, nec alicubi possit agnosci: sive in quovis terrarum loco degant, Dei nostri misericordia gratiaque credimus, quod facile corrigantur, audita ejus damnatione, qui fuerit pertinax et resistens hujus dogmatis auctor inventus. Nec interest ubi isti fuerint, dum ubicunque inveniri potuerint, sint sanandi.

3. Nobis tamen nec persuaderi potest, eum esse purgatum, quamvis ad nos a nescio quibus

---

[1]) *Illorum* i. e. Pelagii et Coelestii.

laicis sint gesta perlata [1]); quibus ille et auditum se crederet, et absolutum. Quae utrum vera sint, dubitamus, quod sub nulla illius concilii prosecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re literas, apud quos istius rei iste praestitit causas. Quod si de sua ille potuisset purgatione confidere, hoc magis credimus quod egisset, quod multo verius esse potuerat, ut illos cogeret epistolis suis quid judicaverant indicare. Verum cum sint aliqua in ipsis posita gestis, quae objecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis, quam vera ratione [2]) ut ad tem-

---

[1]) Synodi scil. diospolitanae, in qua Pelagius anathema evasit partim negando capitula sibi objecta sua esse, partim judices decipiendo ambiguis aequivocisque verbis utens.

[2]) Ex hac Innocentii narratione suspicari est, non sincera ad eum missa esse diospolitanae synodi gesta, sed ea quae Pelagius adulteraverat, quaeque *defensionis suae chartulam* vocabat, qualia et ad Augustinum idem haereticus miserat. Certe eum operam dedisse, ut adulterata illa gesta usquequaque discurrerent, suspicatur et Augustinus lib. de gestis Pelagii n. 57. ubi ait: „Quis non credat id fuisse procuratum, ut tamquam pro gestorum illorum breviatione ista charta usquequaque discurreret?“ Nec

pus videri poterat, purgavit, negando alia, alia falsa interpretatione vertendo.

4. Sed utinam, quod optandum est magis, jam se ille ad veram catholicae fidei viam ab illo sui tramitis errore convertat, ut cupiat velitque purgari, considerans quotidianam Dei gratiam, adjutoriumque cognoscens, ut videatur vere et approbetur ab omnibus manifesta ratione correctus, non gestorum indicio, sed ad catholicam fidem corde converso. Unde non possumus illorum nec approbare nec culpare judicium, cum nesciamus, utrum vera sint gesta, aut si vera sint, illum constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse. Qui si confidit, novitque non nostra dignum esse damnatione quod dicat aut jam hoc totum se refutasse quod dixerat; non a nobis accersiri, sed ipse debet potius festinare, ut possit absolvi. Nam si adhuc taliter sentit, quando se nostro judicio, quibusvis accitus literis, cum sciat dam-

---

immerito opinemur ignotos illos viros, qui scriptum memoratum detulerunt, Pelagio addictos fuisse, atque id Innocentio tradidisse, quod magistro suo favere persuasum haberent. Jure igitur Innocentius de gestis illis, *utrum vera sint*, dubitare se superius ait, inferiusque repetit.

nandum se esse, committet? Quod si accersiendus esset, ab iis melius fieret, qui magis proximi et non longo terrarum spatio videntur esse disjuncti. Sed non deerit cura, si medicinae praebeat ille materiam. Potest enim damnare quae senserat, ac datis literis erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare, fratres carissimi.

5. Librum sane, qui ejus esse diceretur, nobis a vestra caritate transmissum evolvimus: in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphema, nihil quod placeret, nihil pene quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque calcandum, cujus similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. Nam hoc loco de lege latius disputare, velut coram posito repugnanteque Pelagio necessarium esse non duximus; cum vobiscum totam [1]) scientibus, parique nobiscum assensione gaudentibus colloquamur. Tunc enim melius haec exempla ponuntur, quando cum iis, quos harum constat rerum [2])

---

[1]) *Totam* scil. legem.

[2]) In tribus mss. ut in edit. concil. *prudentes*. Rectius alii libri *imprudentes*, hoc est imperitos ac rudes, qui legem minus calleant. Quocirca proximum *melius* perinde est atque opportunius et convenientius.

imprudentes esse, tractamus. Nam de naturae possibilitate, de libero arbitrio, et de omni Dei gratia, et quotidiana gratia, cui non sit recte sentienti uberrimum disputare? Anathemet ergo iste quae sensit: ut illi, qui ejus sermonibus fuerant praeceptisque collapsi, quid tandem habeat fides vera cognoscant. Facilius enim revocari poterunt, cum ista a suo senserint auctore damnari. Quod si ille pertinaciter in hac voluerit impietate persistere, agendum est quatenus vel iis possit subveniri, quos non suus, sed hujus magis error induxit; ne et illis haec medicina pereat, cujus iste talem non admittit nec postulat curam. *Et alia manu*: Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data sexto Kalendas Februarias post consulatum gloriosissimi Theodosii Augusti VII. et Junii Quarti Palladii. v. c.[1])

[1]) Id est 27. Jan. 417.

EPISTOLA XIII.

INNOCENTII AD FELICEM EPISCOPUM NUCERINUM.

1. Si quis volens partem sibi corporis amputavit clericus esse non potest; nolens autem potest. 2. Quod digami admitti ad clerum non possint. 3. Qui de laicis ad clerum non debeant promoveri. 4. Qui de laicis possint clerici fieri. Hic aperte concuba prohibetur. De temporibus in cleri ordinibus immorandis.

Innocentius Felici episcopo nucerino.

---

1. Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque, quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre, ut consulta videlicet sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronunciet. Quod nos et libenter accipimus, et dilectionem tuam memorem canonum comprobamus.

---

[1]) In edit. Coustantii 37. scripta incerto tempore.

2. Scripsisti ergo, quod fervore fidei, quo polles, et amore sanctae plebis, vel reparaveris ecclesias Dei, vel novas quasque construxeris: sed in his clericos, quos constituas, non habere, aliquos vero mutilos, aliquos digamos esse. Ad quod stupuimus, prudentem virum de his voluisse consulere, quae omnibus sunt certa ratione comperta. Ergo non quasi ignorantibus dicimus; sed in aliis forsitan occupatos, istud oblitos vos esse dicimus.

Cap. I. 3. Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipse volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens, se non sponte percussit, hos canones praecipiunt et clericos fieri, et si in clero fuerint reperti, non abjici. In illis enim voluntas judicata est, quae sibi ausa fuerit ferrum injicere, quod scilicet et alii id facere dubitare non possit: in istis vero casus veniam meruit.

Cap. II. 4. De digamis autem nec consuli debuit, quod manifesta sit lectio Apostoli, *unius uxoris virum* (1. Tim. 3, 2.) ad sacerdotium sive ad clericatum admitti debere, et hanc ipsam tamen si virginem accepit. Nam ea, quae habuerit ante virum licet defunctus sit,

tamen si clerico postea fuerit copulata, clericus, qui eam acceperit, esse non poterit, quia in lege cautum est, non viduam, non abjectam habere posse conjugem sacerdotem (Levit. 21, 13.).

Cap. III. 5. De laicis vero religio tua consuluit, quos canones ordinare prohibeant. Certum est quidem, hoc regulas ecclesiasticas continere: sed non ita definitum est, ut de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci, et non fieri possunt: sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt, id est, si quis fidelis militaverit, si quis fidelis causas egerit, hoc est [1]), postulaverit, si quis fidelis administraverit. De curialibus autem manifesta ratio est; quoniam etsi inveniantur hujusmodi viri, qui debeant cle-

---

[1]) Hoc verbo designatur advocatus, qui poenas a judicibus adversus reos decerni postulat, sicut mox *administrantis* voce indicatur judex, cujus est hujusmodi poenas ac tormenta decernere, aut etiam capitalem sententiam dicere. De utroque aliquando dubitavit Exsuperius tolosanus episcopus, utrum etiam ad communionem admittendi essent. Qua de re consultus Innocentius epist. III. al. 6. cap. 3. et 5. ei respondet.

rici fieri, tamen quoniam saepius ad curiam repetuntur, cavendum ab his est propter tribulationem, quae saepe de his Ecclesiae provenit [1]).

Cap. IV. 6. Laici vero, qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut clericis juncti sint, aut monasteriis, ex quo baptizati sunt, haeserint, et si non concubam, non pellicem noverint, si in omnibus bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad clericatus sortem assumi. Ita sane, ut in eos tempora a majoribus constituta serventur. Nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat: quia in minoribus officiis si diu perdurent, et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec praeripiant quod vita probata meretur accipere.

7. Quoniam ergo certa definitione monstratum est, qui debeant admitti, quive reprobari: ex his omnibus quos videt dignatio

---

[1]) Cf. supra ep. I. al. 2. Innocentii n. 14. Respicit autem supra pontifex can. 13. Conc. sardicensis.

tua non posse reprobari, eligere debebis quos clericos facias. Si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium praestare velimus, tales invenire possumus, de quorum assumtione nec incurrere scandalum, nec erubescere valeamus.

EPISTOLA I.

ZOSIMI AD EPISCOPOS AFRICAE. DE CAUSA COELESTII.

Quid instaurato Romae Coelestii judicio gestum sit. Eum, nisi intra duos menses veniant qui praesentem redarguant, et aliter sentire probent quam professus sit, absolutum fore.

Zosimus Aurelio et universis episcopis per Africam constitutis dilectissimis fratribus in Domino salutem.

1. Magnum pondus examinis magna desiderant, ut non sit rebus ipsis, quae geruntur, inferior libra judicii. His accedit apostolicae sedis auctoritas, cui in honorem beatissimi

---

[1]) Innocentio I. successit Zosimus 18. Mart. 417. † 26. Dec. 419. Licet autem brevis fuerit ejus pontificatus, plures reliquit epistolas (14) magnam spirantes auctoritatem, primatus testes, e quibus illas in primis seligemus, quae ad pelagianorum causam spectant, cum sint magni momenti. Dolendum tamen

Petri patrum decreta peculiarem quandam sanxere reverentiam. Orandum igitur, et incessanter orandum, ut continua gratia perennique adjutorio Dei ex hoc fonte in totum orbem pax fidei et catholicae societatis nullis nebulis interfuscata mittatur. Caritas enim, quae, sicut scriptum est, Deus est (1. Joan. 4, 8.), perfecta plenitudinis abundantia gratulatur: cum si quid vel suspicionis habuerit, fidei intentione sollicita vel in longum perducta contentio aut emendatione corrigitur [1]).

2. Coelestius presbyter nostro se ingessit examini, expetens ea quae de se apostolicae sedi aliter, quam oportuit, essent inculcata, purgari. Et licet multae occupationes ma-

---

est omnium momentosissimam, quae *Tractoria* dicta est, et qua tamquam mucrone apostolico nefandi erroris capita percussit, periisse, pauca si excipias fragmenta. Priores duas ep. in edit. Coustantii 2. et 3. primus edidit Baronius, nec de eorum genuinitate dubitari potest, cum satis aperte indicentur a Mario Mercatore in commonit., Augustino c. 2 ep. pelag. l. 2. c. 3. et Facundo l. 7. c. 3.

[1]) Nitidior fieret oratio ita constructa: Fidei contentio h. e. controversia circa fidem intentione sollicita vel in longum perducta aut emendatione corrigitur.

joribus vinculis ecclesiasticorum negotiorum curam nostram sollicitudinemque distraherent: tamen ne fraternitatis vestrae de adventu ac discussione praedicti diutius penderet exspectatio, posthabitis omnibus, die cognitionis resedimus in sancti Clementis basilica, qui imbutus beati Petri apostoli disciplinis, tali magistro veteres emendasset errores tantosque profectus habuisset, ut fidem quam didicerat et docuerat, etiam martyrio consecraret: scilicet ut ad salutiferam castigationem tanti sacerdotis auctoritas praesenti cognitioni esset exemplo.

3. Omnia igitur, quae prius fuerant acta, discussimus [1]), sicut gestorum huic epistolae cohaerentium instructione discetis; et intro-

---

[1]) Non adversatur haec discussio judicio Innocentii I. jam lato, quo secundum Augustinum s. 131. n. 10. causa pelagianorum finita est. Nam Augustinus finitam dixit causam, quatenus aperte ac certa auctoritate erant reprobati errores; hoc judicium Zosimus iterum non discussit: at finitam non intellexit Augustinus causam, quatenus haec referebatur ad fixam determinatamque etiam personarum Pelagii ac Coelestii condemnationem. Hanc discussit Zosimus, eo quod Pelagius et Coelestius exhortationi paternae Innocenti I. (cf. ep. Innoc. supra 10. n. 8; 11. n. 6; 12. n. 10. al. 29, 30, 31) morem se gerere simulantes apostolicae sedi fidei libellos submiserint.

misso Coelestio, libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari: nec hoc contenti, utrum haec, quae scripsisset, corde loqueretur, an labiis, saepenumero exploravimus; cum de occultis animorum solius Dei nostri possit esse judicium, cui non tantum cogitata, sed cogitanda etiam praesto sunt. Quid voces ejus contineant, compendiosius duximus a sanctitate vestra legendo cognosci.

4. Unum sane movet nos, ut cum in praesenti ibi Coelestium habueritis, nihil liquido judicatum sit. Ad literas Herotis et Lazari priori relatione destinatas, equidem ob fervorem fidei, praefestinatum esse promptissimum est [1]). Sed cum de his interrogaretur,

---

[1]) Objicit Zosimus episcopis africanis, quod ob fervorem fidei nimis festine de Coelestio judicaverint solis Herotis et Lazari literis innixi, qui satis idonei non erant ad testimonium ferendum. Sinistra fama hi episcopi, qui Pelagium et Coelestium accusaverant, apud Zosimum notati erant, opera forte ipsius Pelagii et Praylii hierosolymitani antistitis enixius Pelagii causae intervenientis, sed immerito. Eos magni faciebant episcopi in concilio carthag. collecti (supra ep. VII. ad Innoc. al. 26. n. 1), Augustinus (de gr. Chr. c. 81) et Marius Mercator. Hinc mirum esse non debet, si Zosimus initio minus fiderit judicio afrorum de Pelagio et Coelestio.

asseruit nullum sibi de talibus contentionibus unquam cum antedictis fuisse sermonem, nec ante sibi, quam de se scriberent, visu fuisse compertos; Lazarum sane in transitu cognitum; Herotem vero etiam satisfactione interposita, quod secus de ignoto et absente sensisset, cum gratia recessisse. Tam caduco ac nullo fundamine criminationis ignotae procul dubio e re fuit, ut persona talium, quae tam ventosa et levis exstiterat, quaereretur, si saltem illis loci sui ratio vitaeque constaret [1]), ut fides absentibus in absentes[2])

---

[1]) Cum ergo talium hominum in testando tam levis et ventosa fuerit auctoritas, ut patet ex adjunctis, quae supra relata fuere, quaerendum saltem, utrum vitae sanctitas et muneris dignitas tantum eis conciliarent auctoritatem, ut etc. Jam nititur Zosimus ostendere, etiam ex hac parte testes illos fide dignos haberi non posse. Quae autem hic Zosimus de Herote et Lazaro profert hausisse videtur ex fallaci relatione Patrocli tunc in Urbe praesentis, qni in Herotis locum invaserat et quem Zosimus eo acceptius et benignius audiebat, quod amicus et familiaris erat Constantii consulis et militum magistri, „cujus per ipsum gratia, inquit Prosper in chron., quaerebatur." Cf. Coustantium in admon. huic ep. praefixa.

[2]) Coelestium scilicet ac Pelagium, adversus quos Lazarus et Heros literas, seu, ut Augustinus lib. de gestis Pelagii c. 3. n. 10. vocat, libellum, Eulogio

debuerit adhiberi, tantumque pondus in literis eorum, ut auctoritatem testimonii mererentur. Patuit hos inobservatis ordinationibus, plebe cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intra Gallias sacerdotia vindicasse, quibus se ipsi propria [1]) abdicavere sententia; nosque licet et alia, tamen eorum de se poenitudinem et confessionem secuti, sacerdotali eos loco et omni communione submovimus. Satis urget, causam a talibus processisse per literas in absentis ejus accusationem, qui se praesens tuetur, qui exponit fidem, qui provocat accusantem.

5. Nunquam piguit in melius retorsisse

---

caesareensi antistiti tradiderunt. Cujus episcopi auctoritate deinde congregata synodus diospolitana, cui Lazarus et Heros, uti Augustinus ibid. c. 1. n. 2. fidem facit, „propter gravem unius eorum aegritudinem“ interesse minime potuerunt. Easdem autem literas inde in Africam ab Orosio presbytero delatas fuisse carthaginiensis concilii ad Innocentium epistola VII. al. 26. n. 1. nos docet. Coust.

[1]) De Herote in Prosperi chronico legimus: „Heros vir sanctus, B. Martini discipulus, cum arelatensi oppido episcopus praesideret, a populo ipsius civitatis insons et nullis insimulationibus obnoxius pulsus est.“ Sed huic populi violentiae forte etiam propria ipsius sententia accessit.

judicium. Adolescens et sancti Spiritus executor [1]), qui Susannam, seniorum falsitate damnatam, invenit innocentem (Dan. 13, 46). Reducitur a suppliciis casta per puerum, quae per grandaevos fingitur impudica. Non ergo omni, sicut cautum est, spiritui credendum est (1. Joan. 4. 1); sed diu appensius examinandum est, praesertim de fide hominis, ubi status ejus et vita perpetua est. Nec Salomonem fefellit in puerperii rixa veritatis indago (3. Reg. 3. 23). Non enim statim duabus feminis inter se jurgantibus unum pignus induxit: sed ibi arbiter fide cunctabundus invenit, ubi verae pietatis intellexit affectum. Perquam rarum sit, ut longa et castigata cunctatio non ad veri cubile perveniat. Optimae mentis indicium est, prava difficilius credere. Nam plerique, quorum de se bonae [2]) confessioni pigrius adhibe-

---

[1]) Supple *fuit.*

[2]) Baron. *confessionis pignus:* qui locus a Garnerio feliciter est restitutus. Mox loco *illius*, idem Cardinalis praefert *nullius.* Hoc sibi vult Zosimus, plerosque in eum errorem necessitate compelli, a quo purgare se contendunt, dum eis tardius creditur. Huc spectare videtur, quod de Zosimo Augustinus lib. de peccato origin. c. 6. n. 7. eloquitur: „Multum misericors memoratae sedis antistes, ubi eum (Coelestium)

tur fides, in illius erroris abruptum necessitate coguntur: et irremediabile vulnus efficitur, quod desperatur sanari.

6. Unde in praesenti causa nihil praecox immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestrae super absoluta Coelestii fide nostrum examen: cui etiam prior libellus ab eo intra Africam[1]) [datus] testimonio

---

vidit ferri tanta praesumptione praecipitem, tamquam furentem, donec si posset fieri resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus et illius responsionibus colligare, quam districta feriendo sententia in illud abruptum, quo jam propendere videbatur, impellere. Coust.

[1]) Verbum *datus*, quod e Baronii archetypo, aut certe simile, exciderat, supplevit Garnerius: qui et exinde *apud vos*, ubi Baronius *apud nos* ediderat, recte ac ms. Vatic. suffragante restituit. Is quippe libellus Afris apud Carthaginem oblatus fuerat. Sed hunc posteriori, quem Zosimo dedit, subnexum fuisse inde colligitur. De priore illo libello carthaginiense concilium epist. VII. al. 26. ad Innocentium n. 5. italoquitur: „Per baptismum Christi etiam parvulorum fieri redemptionem libello suo Coelestius in carthaginiensi ecclesia jam confessus est.“ Libelli et confessionis ejusdem saepius Augustinus meminit, ac nominatim epist. olim 89. nunc 157. n. 22. et lib. de remiss. pecc. c. 34. ubi legere est: „Quod attinet ad baptismum parvulorum, ut eis sit necessarius, redemptione ipsis etiam opus esse concedunt, sicut cujusdam eorum libello continetur: qui tamen remissionem

apud vos esse debuisset, ne inexploratis famaque jactatis [1]) tam facile crederetur.

---

alicujus peccati apertius exprimere noluit.“ Hoc autem nolle se testatus est Coelestius non in ipso libello, sed in gestis, dum eum urgenti Paulino, ut peccatum originale confiteretur, teste Augustino lib. de origin. pec. n. 3. respondit: „Infantes semper dixi egere baptismo ac debere baptizari, quid quaerit aliud?“ In quam responsionem est ista Augustini n. 4. observatio: „Cernitis sic Coelestium concessisse parvulis baptismum, ut in eos transire primi hominis peccatum, quod lavacro regenerationis abluitur, noluerit confiteri.“ Verum, inquit acute idem Doctor epist. olim 89. nunc. 157. num. 22. „quamquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine non parum sibi praescripsit. Unde enim redimendi essent, nisi a diaboli potestate, in qua esse non possent, nisi originalis obligatione peccati?“ Coust.

[1]) Vocem *criminibus* hic supplendam esse liquet ex inferiore epistola 7. n. 1., ubi memoratur Coelestius in priore romano judicio „quae in se crimina per rumorem falso dicebat illata condemnans.“ Hinc et *jactatus*, pro *jactantibus*, recte a Garnerio restitutum esse conficitur. Quae tamen Coelestio illata sunt crimina, non per incertum rumorem aut per solos absentes ipsi illata sunt, uti postmodum agnovit Zosimus, et a Mario Mercatore in Commonit. c. 1. et ab Augustino lib. 1. de pecc. orig. c. 3. memoriae mandatum est, sed per Paulinum diaconum, quem Coelestius in eo episcopali judicio, in quo damnatus est, praesentem habuerat. Coust.

Quare intra secundum mensem [1]) aut veniant, qui praesentem redarguant aliter sentire, quam libellis et professione contexuit; aut nihil, post haec tam aperta et manifesta, quae protulit, dubii sanctitas vestra resedisse cognoscat.

7. Ipsum sane Coelestium, et quicunque in tempore ex diversis regionibus aderant sacerdotes admonui, has tendiculas quaestionum et inepta certamina, quae non aedificant, sed magis destruunt, ex illa curiositatis contagione profluere; dum unusquisque ingenio suo et intemperanti eloquentia [2]) suprascripta abutitur: cum in hoc etiam magnorum virorum nonnunquam cum ipsis auctoribus scripta periclitentur post multam temporum seriem interpretantis arbitrio: ut divine praedictum sit, ex multiloquio non vitari pecca-

---

[1]) In hunc locum cadit quod Augustinus lib. de pecc. orig. c. 7. observat. „Coelestius velut phreneticus, ut requiesceret, tamquam leniter fotus, a vinculis tamen excommunicationis non est creditus esse solvendus: sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiae lenitate concessus est.“

[2]) Garner. *seu scriptura.* Non displiceret *spreta Scriptura*, idque postulare videtur series orationis.

tum (Prov. 10, 19.); et sanctus David merito postularit circumstantiam labiis suis, orique custodiam (Psal. 140, 3).

8. Caritatem vestram tam apostolicae sedis auctoritate, quam mutua amoris affectione commoneo, ut jam ingenia vestra se sanctarum omnium Scripturarum, quae secundum traditionem patrum atque majorum perceptae sunt, praeceptis observationibusque subjiciant. Quid illic non abundans? quid non Dei Spiritu et vocibus plenum sit? nisi libet unumquemque plus sibi credere, suoque de se uti judicio. Data .... Honorio Augusto 11. et Flavio Constantio consulibus[1]).

---

[1]) Id est a. 417.

EPISTOLA II.

ZOSIMI AD EOSDEM.

Pelagium missis literis ac libello fidei, rursumque Coelestium sese purgasse, neque accusatoribus eorum tam sublestae fidei viris facile fuisse credendum; illos demum, cum damnanda damnarent, ac sequenda sequerentur, a catholica veritate aut Ecclesiae communione nunquam excidisse.

Zosimus episcopus Aurelio et universis episcopis per Africam constitutis, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

---

1. Postquam a nobis Coelestius presbyter auditus est, et quid de fide sentiret evidenter expressit, eademque, quae in libello contulerat, repetitis crebro professionibus roboravit, de ejus nomine plenius ad dilectionem vestram scripta direximus.

2. Ecce epistolam hierosolymitani episcopi Praylii, qui in locum quondam sancti Joannis episcopus est ordinatus, accepimus, qui

causae Pelagii enixius adstipulator [1]) intervenit. Literas quoque suas idem Pelagius purgationem continentes abundantissime misit, quibus et professionis suae fidem, quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fuco, ut cessarent totius interpretationis insidiae, cumulavit. Harum recitatio publica

---

[1]) Pelagius in synodo Palaestinae accusatus, „primo quidem, inquit Marius Mercator pag. 139, tergiversando ambiguis quibusdam se professionibus tegens, et prosequens dubia vel respondens, illam tunc videtur episcoporum audientiam delusisse.“ Unde et absolutus evasit. Huic autem synodo cum Joannes hierosolymitanus praefuisset, ab ejus successore Praylio Pelagius in sui gratiam literas facile impetravit: sed ne suos ipsi errores detegeret diligenter cavit. Ab his quantum abhorruerit semper Praylius, postea manifestum fecit, cum idem haereticus, ut Mar. Mercator ibidem narrat, „postmodum evidenter deprehensus, insistentibus accusatoribus, a posteriore synodo, cui sanctae memoriae Theodotus Antiochiae praesedit episcopus, atque detectus, a sanctis quoque ac venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus, ejusdemque sancti Theodoti ad reverendissimum urbis Romae episcopum et sanctae recordationis Praylii hierosolymitani episcopi missa scripta testantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.“ Secundis igitur literis post obitum Zosimi Romam missis, ea revocavit Praylius, quae in gratiam Pelagii, dum haereticos tegeret sensus, seseque catholicum fingeret, scripserat. Coust.

fuit: omnia quidem paria, et eodem sensu sententiisque formata, quae Coelestius[1]) ante

---

[1]) Quae illa sint, quorum recitatio tantae catholicis laetitiae causa fuerit, discere licet ex his Augustini lib. de pecc. orig. c. 1. Albinam, Pinianum ac Melaniam sic alloquentis: „Nempe ipsi a Pelagio vos praesente scripsistis audisse, recitante vobis de libello suo, quem etiam Romam se misisse asserebat, quod iisdem sacramenti verbis dicant debere baptizari infantes, quibus et majores.“ Ii quippe haec audientes eo gaudio, quo Zosimus cum coetu suo perfusus est, sese affectos fuisse testati sunt. „Hinc ergo est, addit Augustinus cap. 5, et illud quod scripsistis sic vobis respondisse Pelagium, quod eisdem quibus et majores sacramenti verbis baptizantur infantes; vosque fuisse laetatos id quod cupiebatis audisse.“ Nempe, ut Augustinus ibid. tradit, etiam in libello, quem Coelestius Romae edidit, quique gestis ibi ecclesiasticis allegatus est, haec scripta erant: „Infantes autem baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis Ecclesiae et secundum Evangelii sententiam confitemur.“ Qui autem baptismum infantibus in remissionem peccatorum conferendum concedebant, infantes non sine peccato nasci, adeoque peccatum originis fateri videbantur. Quocirca Augustinus ibid. c. 1. istud observat: „Quis post illa verba putaret eis de hac re ullam movendam esse quaestionem? aut cum faceret, cui non calumniosissimus videretur, si non (aliunde) eorum manifesta verba legerentur?“ Et quae illa sint manifesta eorum verba, cap. 6. retegit in hunc modum: „Attendite itaque quid Coelestius apertissime dixerit, et ibi videbitis, quid Pelagius vobis

protulerat, continebant. Utinam ullus vestrum, dilectissimi fratres, recitationi literarum interesse potuisset. Quod sanctorum virorum qui aderant gaudium fuit! quae admiratio singulorum! Vix fletu quidam se et lacrimis temperabant, tales etiam absolutae fidei infamari potuisse. Estne ullus locus, in quo Dei gratia vel adjutorium praetermissum sit? quod quisquis potest praeter eandem vel mente concipere, nec [1]) ille illi supernae sententiae subjectus, quae de sancto Spiritu lata est, quod neque hic, neque in futuro venia vel remissione donetur.

3. Video etiam hunc Pelagium, Herote et Lazaro scribentibus, infamari. Itane

---

occultaverit. Coelestius quippe adjungit et dicit: In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur etc.“ Unde inquit vulgatum milevitanum II. concilium can. 2. „fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere, sed false intelligatur.“

[1]) Ex ms. Vatic. adjecimus *ille*. Proxime antea pro *nec*, mallemus *exstet*. Hic quippe notari vel repeti intelligimus ipsa Pelagii verba, quibus imprecatus sit, „quod si quis se putet praeter eandem (scil. gratiam) aliquid vel mente concipere, exstet illi supernae sententiae subjectus, quae de blasphemo in Spiritum sanctum (Matth. 12, 31.) lata est.“

fratres dilectissimi, ad aures vestras, qui sint isti turbines Ecclesiae vel procellae, nec opinione pervenit? Ita vero vos latuit vita horum atque damnatio? Sed quamquam specialis illos apostolicae sedis auctoritas omni communione submoverit, discite et in hac epistola, licet strictim, hominum mores. Vetus Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi. Per multa concilia in sanctum Britium coepiscopum nostrum turonicae civitatis diabolicus accusator[1]) inventus est. A Proculo massiliensi in synodo Taurini oppidi sententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit post multos annos sacerdos, tyrannici judicii defensor, civitatis aquensium: cum contrairet addicta[2]), in ipsum

---

[1]) Sancti Britii vitam non ita inculpatam Sulpitius Severus repraesentat, ut omnem ejus accusandi aut sacerdotio ipsius intercedendi causam excluserit. Forte tamen accidit, ut licet vera Lazarus adversus Britium denunciarit, quia tamen hoc non est consecutus, ut is ab episcopatu amoveretur, ansam hinc arripuerit Patroclus, unde eum calumniatoris sententiam a Proculo excepisse diceret, idque Zosimo persuaderet. Sane veri non videtur simile Proculum, si sententiam hujusmodi dixisset, eum aliquando maximae urbis episcopum fuisse ordinaturum. De hac re nihil in taurinensi concilio nunc legimus.

[2]) *Addicta* scil. ipsi civitas Aquensium.

penetrale et sacerdotale solium sanguine [1]) innocentis pene respersum irrupit. Stetitque in eo hactenus umbra sacerdotii, donec in tyranno [2]) imago staret Imperii: quo loco post internecionem patroni sponte se exuit, et propria cessione damnavit. De Herote vero omnia similia, idem tyrannus patronus, caedes, turbae, presbyterorum contradicen-

---

[1]) Tillemontius to. 13. pag. 677. hic notari conjectat caedem Vereniani et Didymii propinquorum Honorii imperatoris, quos Constantinus tyrannus circa initium anni 409. jugulari jusserat, antequam eunuchos ad Honorium mitteret, „veniam poscens quod Imperium delatum accepisset," ut Zosimus lib. 5. pag. 818. loquitur. Quod si ita est, hic *innocenti pene respersus* restituendum est: et antea *tyrannici judicii defensor* ideo Lazarus est dictus, quia hoc Constantini adversus insontes judicium approbasse censebatur. Inde autem quanta Lazaro conflaretur invidia, hinc conjicere licet, quod Jovius Constantini legatus, ut hoc factum purgaret, ipsius Constantini voluntate commissum negare compulsus sit, uti rursum Zosimus initio libri 6. narrat. Coust.

[2]) Id est Constantino, qui a. 407. a britannicis militibus imperator conclamatus exindeque Galliis, Britanniis et Hispaniis potitus a 411. apud arelatense oppidum, quo se receperat, ab Honorii ducibus Constantio et Ulphila captus victusque haud multo post interemptus fuit.

tium vincula et custodiae, et totius civitatis [1]) addictio, similis poenitentia de abdicatione sacerdotii. Mirum est si isti laicum virum [2])

---

[1]) Garn. *afflictio*, Baron. et archetypo Vatic. renitentibus. Cum hunc Herotem insontem ac nullis insimulationibus obnoxium, a populo suo pulsum esse Prosper in chronico tradat, facile intelligitur hoc unum illius crimen exstitisse, quod illum Constantinus benevolentia sua prosecutus esset. Hinc et Constantio, qui Honorii imperatoris exercitibus praeerat, post debellatum Constantinum suspectus evasit, et Patroclo Constantii hujus amico patuit aditus, quo in Herotis locum invaderet, eumque, ne forte revocaretur, quantum in se erat, infamaret. Coust.

[2]) Pelagium videlicet, quem etiam Orosius *laicum* cognominat: quia nullum clericatus gradum susceperat. Monachi nomine donari solet in actis palaestini concilii apud Augustinum lib. de gestis Pelagii c. 23. et 24. Falsi suspicionem, quae Zosimo papae de Herote et Lazaro inique injecta est, Orosius in Commonitorio aperte ab illis amovet, ubi ait: „In Palaestina degebat Pelagius. Inventi sunt a quibusdam religiosis episcopis (Herote et Lazaro) libri ejus, in quibus multa et varia adversus fidem catholicam conscripta esse videntur. Hi cum literis in Africam patribus et episcopis missi sunt, ubi tribus conciliis memorati lecti sunt libri.“ Qui enim ipsos Pelagii libros mittere curarunt, ex aequo et bono cum eo egisse, non *falsis literis* ipsum infamare voluisse convincuntur. Qui igitur Zosimo suggesserunt aliud, eos ipsi imposuisse perspicuum est. Coust.

ad bonam frugem longa erga Deum servitute nitentem, falsis literis percellere noluerunt, qui in fratres et coepiscopos tanta machinati sunt, qui tot tempestates Ecclesiae reddiderunt. Non decet episcopalem auctoritatem, et praecipue prudentiam vestram, ad levium susurronum scripta pendere. Ecce Pelagius Coelestiusque apostolicae sedi in literis suis et confessionibus suis praesto sunt: ubi Heros, ubi Lazarus, erubescenda factis et tot damnationibus nomina? ubi illi adolescentes, id est Timasius et Jacobus, qui scripta quaedam, ut asserebatur[1])? Vos conjicite, si qui talia in sede apostolica confi-

---

[1]) Non displicet verbum *protulerunt*, quod Garnerius hic de suo adjecit: sed alterum desideratur, quod supplere licet ex epistola quinque episcoporum apud Innocentium IX. al. 28. n. 6. ubi legimus de iisdem adolescentibus dictum: „protulerunt eundem librum Pelagii esse dicentes.“ Integer igitur erit locus, si post verbum *asserebatur*, adjecerimus, *Pelagii protulerunt*. Ex epistola autem proxime laudata liquet, 1°. librum prolatum fuisse anonymum, 2°. traditum fuisse Augustino, non Palaestinae synodo, 3°. Pelagium noluisse eum suum fateri. Unde quinque episcopi in eadem epistola n. 7.: „Si autem hunc esse suum librum negat.“ Quod vero sub Innocentio suum negavit, hoc eum et sub Zosimo suum negasse minus mirum est. Coust.

tentur, illa quae de iisdem a pravis ac levibus [1]) auctoribus ac dubio rumore jactata sunt, oporteat credi.

4. Amate pacem, diligite caritatem, studete concordiae. Nam scriptum est: *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum* (Matth. 19, 19). Qui magis alter alteri proximi sumus, quam omnes, qui in Christo unum esse debemus? Non omnis, qui aures vestras ventus ingreditur, nuncius est veri: ideoque animo praesule et in excubiis constituto semper opus est, ne totum famae, totum testibus liceat. Recensete sacras literas et divina tabularia: maximam partem falsi testes occupavere: ubi sanctorum aut accusationem aut pericula reperimus: maximam dico, imo totam, cum in ipsum Dominum nostrum Salvatorem totius mundi hostiam et pontificem salutarem falsi testes insurrexerunt, qui se ejus blasphemiam audisse confingerent. Aestimate quid jam possit praeterire fallacia, quae in Deum fidei, imo in ipsam fidem ac veritatem, perjuriis impetum fecit.

---

[1]) Auctores *pravos* Herotem ac Lazarum, *leves* vero aut eosdem, aut Jacobum et Timasium propter adolescentiam vocat.

5. Haec ideo scripsimus, ut de cetero, si qui absentes minusque noti de quolibet talia ex libidine mentientur, fixi sint pedes vestri adversus arietem fraudulentiae. Unde et lucernam pedibus suis ac lumen semitis suis vir sanctus exorat (Psal. 118, 105): scilicet ne inter fallaces tenebras sint caeca nobis et errabunda vestigia. Et in Evangelio: *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi ab ipso audierit prius et cognoverit* (Joan. 7, 51)? Etiam in veteri Testamento: *Non credes auditui vano, et non consenties cum iniquo fieri testis injustus* (Exod. 23. sec. 70). Et ne forte multitudini detrahentium ante examinationem judicii crederetur, addit dicens: *Non eris cum pluribus in malitia, et non accipies per eos peccatum* (Ibid.). Et iterum alibi: *Prius quam interroges, ne vituperes quemquam: et cum interrogaveris, corripe juste* (Eccli. 11, 7). Et iterum: *Quae viderint oculi tui loquere* (Prov. 25, 8. sec. 70). Et in Actibus Apostolorum adversus principes sacerdotum et seniores judaeorum postulantes absentis Pauli apostoli damnationem, justissimam sententiam gentilis Festus tribunus protulit, quam convenit etiam nos in facie credentium objicere ad verecundiam, dicens: *Non est consuetudo*

romanis, damnare aliquem hominem prius, quam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina (Act. 25, 16). Si hanc igitur moderationem extra septum fidei nostrae positus tenuit contra sacerdotalem pudorem, indigna omnino credulitas absentibus in absentes. Quotus enim quisque immunis invenietur a vulnere, si ad omnem ferientis ictum, credulum pectus aperitur.

6. Doceat nos terrena moderatio, quae secularibus arbitriis et causis primum de ipsis judicibus eligendis repudiandisque sit, et quanta cunctatio; quot interpositae dilationes; quoties inhibita comperendinatio: etiam sub ipso fine certaminis ampliare judicia cum innoc. reo (Cod. theod. l. 2. t. 6, 7; 9, tit. 36). Confugitur ad mare et transmarina[1]) documenta

---

[1]) Editi, *et extramarina*: corriguntur ex ms. Vatic. Hic respicere videtur Zosimus ad id Cod. Justin. lib. 3. tit. 11. leg. 1. „Si ex ea provincia, ubi lis agitur, persona, vel instrumenta poscantur, non amplius quam tres menses indulgeantur. Si vero ex continentibus provinciis, sex menses custodiri justitiae est: in transmarina autem dilatione novem menses custodiri oportebit.“ Quae lex a Diocletiano et Maximiano lata, postea ab Arcadio ibid leg. 7. et Cod. Th. lib. 2. tit. 7. leg. 4. confirmata est.

ut fides quae in praesenti plerumque arctioribus strangulatur angustiis, saltem eminus veniat. Haec omnia mentior, nisi in patrocinium tuendae innocentiae reperta sint. Tolerabilius est enim innocentem quemlibet tardius inveniri, quam cito pro nocente damnari.

7. Grave fuit Lazaro et Heroti literarum suarum pedissequos esse. An nesciebant, dilectionem vestram ad sedem apostolicam relaturam? Huc certo calumniae compendio navigassent. Ubi de episcopatu ambiendo agitur, maria terrasque lustrant, nec ulla suffragia praetermittunt. Ubi vero innocentium fama percellitur, otiosi et delicati sive accusatores sive testes (in utroque enim fallentibus nomen infame est), in cubilibus et lectulis suis literis abutuntur: et totam Africam, universumque tranquillum catholicae serenitatis innubilant ad libidines suas duae pestes. Ante tribunal Christi omnes stabimus: nemo illic abesse poterit, nec Domini, cujus immensitas omnibus locis ac rebus intervenit, declinare judicium.

8. Si Deo nostro cordi fuit, propter oves perditas Verbum carnem fieri, et ex Domino formam servientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem: sit vobis gaudium,

eos quos falsi [1]) judices criminabantur, agnoscere a nostro corpore et catholica veritate [2]) nunquam fuisse divulsos. Certe hoc,

---

[1]) Si Heros et Lazarus hic notentur, non *judices*, sed *testes* hic legendum est.

[2]) Haec nonnullam difficultatem faciunt. Quomodo enim dici potest Coelestium a catholica veritate nunquam fuisse divulsum, cum vel in libello fidei Zosimo oblato peccatum inficietur originale, ut patet ex annot. supra p. 124. Responderi potest cum Augustino, qui jam hanc difficultatem et vidit et expendit (l. 2. ad Bonif. c. 3 s.), fidei libellum Coelestii dictum quidem esse catholicum a Zosimo, non quia fidei venena in illo posita a sede apostolica approbarentur, sed quia catholica mente seu sub catholicae mentis specie conscriptus esset. Coelestius enim in libello suo de peculiari sententia sua locuturus praemiserat: „Si forte ut hominibus quispiam ignorantiae error obrepsit, vestra sententia corrigatur.“ At vero subjicit Augustinus „hoc catholicae mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere.“ Neque vero hac generali Coelestii professione contentus fuit Zosimus, sed crebris interrogationibus ac responsis eo illum adegit, ut se „literis b. m. papae Innocentii, quibus de hac re (scil. de peccati originalis fide) dubitatio tota sublata est, consentire responderet.“ Quod ubi professus est „quis, inquit Augustinus, non videat, quemadmodum sit colligatus Coelestius et vinculo saluber-

quod vestra exspectatio desiderabat, eluxit, ut damnanda damnarent, et sequenda seque-

---

rimo obstrictus, ne ulterius defendere auderet in baptismate parvulorum non dimitti peccatum originale?“ Idcirco laudat idem Augustinus l. de pecc. orig. c. 7. piam Zosimi in curando Coelestio industriam, quum eum velut furentem et phreneticum suis interrogationibus ac propriis ipsius responsionibus sic colligare studuit, ut ne vix quidem evadere jam posset; sic fovere, ut „interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus“ concederetur. Interea „et hoc (scil. peccatum originale a Coelestio non negari) ut plenius et manifestius in illo fieret, exspectabatur venturis ex Africa literis, in qua provincia ejus aliquanto calliditas evidentius innotuerat.“ Tum igitur, ut verbis utamur Augustini (ad Bonif. l. 2. 2. c. 3) „voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est.“ Quamobrem apposite idem concludit Augustinus: „Profecto quidquid interea lenius actum est cum Coelestio, servata dumtaxat antiquissimae et robustissimae fidei firmitate, correctionis fuit clementissimae suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quod ab eodem sacerdote (Zosimo) postea Coelestius et Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissae jam necessario proferendae severitatis fuit, non praevaricatio prius cognitae vel nova cognitio veritatis.“ Ejus etiam indulgentiae, qua „duo illa ingenia aliquanto lenius, quam severior postulabat Ecclesiae disciplina tractata sunt“, hanc suggerit Augustinus causam, quia nimirum „quamvis nefando errore perversa, non tamen erant contemptibilia.“ Cur vero

rentur. Si paterfamilias reditu filii gratulabatur, qui *mortuus fuerat, et revixit,*

---

non fuerint contemptibilia, subinde aperit, ubi de Coelestio sic loquitur, ut de „homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur plurimis profuisset.“ Accusatorum quoque Coelestii et Pelagii (Herotis et Lazari) sinistra apud Zosimum existimatio (de qua cf. has ipsas ep.) haud mediocriter eorum causam juvit. Ceterum quod Zosimus nunquam pelagianorum faverit erroribus, conjici potest etiam ex eo, quod sub Innocentio clero romano adscriptus profecto cum hoc in Innocentii conspiraverit sententiam; colligitur vero certo exinde, quod nihil immutaverit circa sententiam Innocentii de Pelagio et Coelestio, ut ipse testatur ep. IV. al. 12. n. 2; et cum primum Coelestii agnoverit fraudes „ad iniquorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium (scil. episcoporum) armaverit,“ ut loquitur Prosper adv. collat. n. 21, exigendo scil., ut omnes subscriptione sua damnationis sententiam firmarent. Cf. Coustantium in admonit. hisce ep. praefixa n. 4 ss. Haud inopportunum erit hic advertere ingens discrimen inter judicium Augustini de Zosimo et judicium quorundam historicorum *criticorum* nostrae aetatis, qui Zosimum erroris accusant (quibus favet etiam Kraus, *Lehrbuch der Kirchengeschichte* § 46.). Quanto *circumspectius* Augustinus judicat, quamvis non ex illorum criticorum ordine: rationem enim habet omnium adjunctorum, et his omnibus expensis Zosimi agendi rationem potius laudat, quam vituperat: et tamen si quis unquam causam habuisset Zosimum reprehendendi, si vere errasset, fuisset is Augustinus, utpote

perierat, et inventus est (Lucae 15, 32); et jubebat in usum ejus stolam mundam, hoc est insigne candidae mentis afferri, et vitulum saginatum; quantum haec uberior exsultatio est fidei, non mortuos esse, nec periisse, de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parituram esse vobis in Domino de absoluta ejus fide laetitiam. Data 11. Kal. Octobris [1]).

---

qui judex sederat adversus Pelagium et Coelestium in concilio milevitano, utpote acer pelagianae haeresis adversarius: sed *charitas aedificat.* Nostri vero critici post tot seculorum volumina, ignari tot adjunctorum, tam praecipitanter ex cathedra pronunciant, Zosimum Coelestii errores approbasse. *Sectemur potius Augustini crisin.*

[1]) Id est 21. Sept. 417.

EPISTOLA III.

ZOSIMI AD HESYCHIUM EPISCOPUM SALONITANUM.

1. Quod monachi vel laici nisi per gradus ecclesiasticos non debeant ad summum sacerdotium pervenire. 2. Quod si quis interdicta despexerit, gradus superioris periculo subjacebit. 3. Quae in singulis cleri gradibus tempora sint praefixa.

Zosimus Hesychio episcopo salonitano. [1])

—

1. Exigit dilectio tua praeceptum apostolicae sedis, in quo patrum decreta consentiunt, et significas nonnullos ex monachorum populari coetu, quorum solitudo quavis frequentia major est, sed et laicos ad sacerdotium festinare [2]). Hoc autem specialiter et sub praedecessoribus nostris, et nuper a no-

---

[1]) In ed. Coustantii 9. Scripta est 21. Febr. 418.

[2]) I. e. Significas nonnullos e monachorum turba, quorum vel in solitudine numerus major est, quam aliorum hominum in locis alioquin frequentibus ad sacerdotium festinare etc.

bis interdictum constat, literis ad Gallias Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista praesumptio, quamvis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra patrum praecepta, qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non fuisset imbutus, et temporis approbatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiae sacerdotium adspirare praesumeret: et non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam in ordinatores ejus, ut carerent eo ordine, quem sine ordine contra praecepta patrum crediderant praesumendum. Unde miramur ad dilectionem tuam statuta apostolicae sedis non fuisse perlata. Laudamus igitur constantiam propositi tui, frater carissime, nec aliud de pontificii tui vetere censura auctoritatis genus exspectandum fuit, quam ut talibus ambitionibus, pro praeceptis patrum, in procinctu fidei constitutus occurreres.

2. Igitur si quid auctoritati tuae, quod nos non opinamur, aestimas defuisse, supplemus. Obsiste talibus ordinationibus, obsiste superbiae et arrogantiae venienti. Tecum faciunt praecepta patrum, tecum apostolicae sedis auctoritas. Si enim officia secularia

principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinato temporibus deferunt[1]): quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in coelesti militia, quae pensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tiro ante non fuerit, et prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu divini rudimenta servitii: nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis majorum ordinatione temporibus. Jam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut et nomen aetas impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur. Jure inde summi pontificis locum sperare debebit.

Cap. I. 3. Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quaerunt, et putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum paroecias extendi cupiunt, aut quibus aliud praestare non possunt,

---

[1]) *Officia secularia* i. e. administri et judices seculares.

divinos ordines largiuntur. Quod oportet districti semper esse judicii. Rarum est enim omne, quod magnum est.

Cap. II. 4. Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuae derogaremus, ad te potissimum scripta direximus, quae in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum, qui in ea provincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuae provinciis adjunguntur. Sciet quisquis hoc postposita patrum et apostolicae sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat, post tot prohibitiones, impune tentari. Contumeliae enim studio fit, quidquid interdictum toties usurpatur.

Cap. III. 5. Haec autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vicesimum aetatis annum continuata observatione perduret. Si major jam et grandaevus accesserit, ita tamen, ut post baptismum statim, si divinae militiae desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur: exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis; et sic ad benedictionem diaconatus, si me-

retur, accedat; in quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, haerere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriae fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco, si eo illum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit. Hac tamen lege servata, ut neque digamus, neque poenitens [1]), ad hos gradus possit admitti. Sane, ut etiam defensores ecclesiae, qui ex laicis fiunt, supra dicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus. Data 9. Kalendas Martias DD. NN. Honorio 12. et Theodosio 8. Augustis consulibus.

---

[1]) Poenitens i. e. qui poenitentiam publicam subiit.

EPISTOLA IV.

ZOSIMI AD CONCILIUM CARTHAGINENSE.

Zosimus auctoritate sedis suae pluribus explicata certiores afros facit, se non omnem, ut ipsis visum est, Coelestii verbis fidem commodasse, aut ea immutasse, quae de illo a decessore suo statuta sunt.

Zosimus Aurelio ac ceteris, qui in concilio carthaginiensi adfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem. [1])

1. Quamvis patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque[2]) servaverit,

---

[1]) In edit. Coustantii 12. scripta 29. Apr. 418.

[2]) Supple *eadem sedes*. Si ergo de sedis apostolicae judicio disceptare nemini licet (quod infra repetit), nec ab ipsa ad aliud tribunal appellare, ejus judicia authentica in rebus fidei super omne sunt posita dubium, quod admitti nequit, nisi ab errore sint immunia. Cf. similia apud Zo-

et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat: tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias omnium [1]) voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret (Matth. 16. 19); par potestatis data conditio in eos, qui sedis hereditatem, ipso annuente, meruissent: habet enim ipse, cum omnium ecclesiarum, tum hujus maxime ubi sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare aura sententiae, cui [2]) ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quae sine suo periculo temere nullus incessat: cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium majorum studia

---

simi successorem Bonifacium infra ep. 3. al. 13. n. 2. et ep. 5. al. 15. n. 5.

[1]) Id est summo omnium consensu.

[2]) Romanae sedis fundamenta sunt Petri nomine insignita, quatenus ab hoc apostolo *apostolica sedes* nuncupatur: eoque firmior debet esse sedis hujus sententia, quod Petri sententia censeatur. Hoc itaque sibi vult Zosimus: Petrus est firma illa petra, cui velut fundamento romana sedes innititur, quamque

firmaverit [1]), ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur romana ecclesia, cujus locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, et, quemadmodum sacerdotes, scire debetis; tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro literis referremus; dantes haec fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiae veniens displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo [2]), qui apud vos, sicut ipsi per literas dicitis, fuererat accusatus; et ad nostram qui se assereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristina [3]) venerit sedem; accusatores suos ultro deposcens, et quae in se crimina per rumorem falso dicebat illata con-

---

nec diris inferni motibus superandam esse Christus promisit.

[1]) Legendum videtur: *id firmaverint.*

[2]) Scil. *Coelestius.*

[3]) Quam tamen quinquennio et amplius praeter leges neglexerat.

demnans. Omnem ejus petitionem prioribus [1]) literis, quas vobis misimus, putavimus ac novimus explicatam; satisque illis scriptis, quae ad illa rescripseratis [2]) credidimus esse responsum.

2. Sed post missae per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolae omne volumen

---

[1]) Scilicet superiore epistola 2. cui et libellum sibi a Coelestio oblatum Zosimus annecti curaverat.

[2]) In vulgatis, *credimus*, ubi *credidimus* restituendum esse, jam persuasum nobis erat, cum re ipsa in Vatic. ms. *credidimus* haberi comperimus. Eo pacto, si antea legerimus *quae de illo rescripseratis*, subaudierimusque deinde *ad Innocentium*; integra fiet ac perspicua Zosimi sententia. Afri enim ad Innocentium epist. 27. originale peccatum et gratiae auxilium a Pelagio atque Coelestio negari scripserant, addiderantque se eos in Ecclesia sanari malle, quam ab Ecclesia resecari. His eorum scriptis, in eo nominatim quod ad Coelestium attinet, satis esse responsum hactenus credidisse se Zosimus significat, quippe qui certiores eos fecerit, illum Innocentii literis, in quibus et gratiae adjutorium et peccatum originis asseruntur, consensisse. Huc spectat quod Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. allatis Apostoli verbis: *Si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit*, subdit: „Hoc in illo (Coelestio) factum putabatur (a Zosimo), quando se literis beatae memoriae papae Innocentii, quibus de hac re (scil. de peccato originis) dubitatio tota sublata est, consentire respondit.“ Coust.

volvimus: quo aliquando perlecto ita totum literarum comprehendistis textum, quasi nos Coelestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem, ut ita dicam, syllabam praebuerimus assensum. Nunquam temere quae sunt diu tractanda [1]) sinuntur; nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari judicio. Idcirco noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas, quas superius [2]) vel literas vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cum hoc nostris literis vestrae indicavimus sanctitati, ut illa quae a vobis ad nos missa erat, obtestatio [3]) servaretur. Subscripsi. Bene valete. Data 12. Kalend. April. Honorio Augusto 12. consule. Accepta tertio Kalendas Maias.

---

[1]) Perinde intelligendus est hic locus, ac si verbum *tractanda* repeteretur in hunc modum: „Quae sunt diu tractanda, nunquam temere tractanda sinuntur.“ Ita probat Zosimus nihil a se temere factum, cum dilationem huic negotio permisit, nec finem ei imponere festinavit.

[2]) Forte legendum vel supplendum: Post illas, quas *scripsimus*, vel literas vestras, *quas* accepimus.

[3]) Porro *obtestationis* nomine id, quod Innocentium rogarant, intelligere licet. Nam istud *ad nos* perinde atque *ad nostram sedem* interpretari nihil repugnat

EPISTOLA I.

BONIFACII AD RUFUM

Ut Corinthii Perigenem quem expetunt episcopum accipiant.

Dilectissimo fratri Rufo Bonifacius [1]).

---

1. Beatus apostolus Petrus, cui arx sacerdotii dominica voce concessa est, immensum

---

[1]) Bonifacius Zosimi successor (ab. 28. Dec. 418—4. Sept. 422) praedecessorum suorum vestigia premens non minus fortiter sedis apostolicae privilegia tutatus est. Octo tantum reliquae sunt ejusdem epistolae. Duarum priorum, quas hic exhibemus (in ed. Coust. 4. et 5. scriptae a. 419) haec exstitit occasio: Perigenes, qui Corinthi natus, in eadem ecclesia renatus ejusque clero adscitus, cum per omnes clericorum gradus meruisset, patrensibus quidem a corinthiorum praesule totius provinciae approbante synodo ordinatus fuerat episcopus, sed a plebe repulsus, postmodum ab ipsis corinthiis in episcopum cooptatus est. Postulationi eorum intercedebant non-

gratulationis extollitur, quoties pervidet concessi sibi honoris a Domino intemeratae se pacis filios habere custodes. Quid enim gaudio debeat majore pensare, quam quod

---

nulli, apud quos ea obtinebat religio, ut canones, qui episcoporum translationes vetabant, violari timerent, si qui uni ecclesiae semel ordinati, licet ab ea nnnquam suscepti alteri praeficerentur. Quam ob causam corinthii sedem apostolicam precibus datis adierunt, ut ejus auctoritate voti compotes fierent. Miratus est Bonifacius corinthiorum precibus nullas Rufi adjunctas esse literas, licet illius curae Achaja una cum ceteris Illyrici provinciis commissa jam fuisset. Quocirca etiamsi aequam judicaret illorum petitionem, prius tamen quam Rufi accepisset literas, rescribere illis noluit „ut et apostolicae sedis auctoritas“ et ejus vicario „debita honorificentia servaretur,“ necnon „ut nihil immaturum ab hac sede fieri videretur.“ Ubi vero Rufi de Perigene accepit scripta, quae desideriis omnino convenirent, tunc ad eundem Rufum missa epistola secunda „quae universo presbyterio“ h. e. toti romano clero, complacuit, Perigenem ecclesiae corinthiorum constituit pontificem. Ita Constantius in monito praefixo, qui simul advertit, se multum suspicari harum epistolarum perturbatum atque confusum esse finem. Certe, inquit, si ab utraque distrahantur quae cujusque n. 4. continentur, et quod uni male adsutum est, alteri vicissim restituatur, nihil jam erit, quod non apte sibi cohaereat. Neque mirum videri debet, in iis scriptis, quaedam etiam loco suo fuisse mota.

agnoscit acceptae potestatis illaesa jura servari? Vere namque immobile requirit a diversis destinata super negotiis quibusque consultatio fundamentum, quae ejus consulit sedis arcanum, quam constat dignatione petrae spiritalis elatam.

2. Frequentia igitur, ut scrinii nostri monimenta declarant, ad caritatem tuam ex ejus fonte scripta [1]) manarunt, quibus sollicitudinem ecclesiarum per Macedoniam et Achaiam sitarum fraternitati tuae, quam scimus ecclesiasticam disciplinam canonum notione servare, certum est esse commissam. Nec immerito id ducimus factum. Hanc enim gratiam dilectioni tuae apostolica sedes officio diligentis impertit. Unde fit, ut sanctitatem tuam gnaram faciamus hujusce negotii, quod ex ea provincia auribus nostris ingeritur destinatum, cujus [2]) prudentiae tuae dudum cura mandata est.

3. Corinthii enim olim beati Pauli praedicatione laudati, quorum preces subdendas

---

[1]) Etiamnum Innocentii habemus epistolas 13, 16. et 18. eidem Rufo inscriptas.

[2]) Supple *provinciae*, scilicet Achaiae, cujus una cum ceteris Illyrici curam Rufo ab anno 412. demandatam esse liquet ex Innocentii epistola 13.

magis credidimus esse, quam narrandas, Perigenem sicut jam dudum a sancta synodo [1]) super ejus nomine pagina directa testatur, sanctum et instituti optimi qualitate pollentem, civitatis suae non tam accipere quam retinere desiderant sacerdotem. Cujus ordinationis seriem, si integro ordine exponendam putavero, fiat necesse est ejus laudis augmentum; et huic nimirum proficiet, si faciamus vel ordinantis [2]), vel ordinati recto tramite mentionem. Quis enim dubitet ejus meritis deputari; quis renuit judicii fuisse divini, ideo hunc a patrensibus in tempore non esse susceptum, et diu super praemissa ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret, in cujus caulis suam a cunabulis transegisset aetatem? *Judicia Dei abyssus multa* (Psal. 35, 7): quod congrue aptamus exemplum, et nemo crederet quod, in ordinatoris

---

[1]) Seu ab Achaiae episcopis, qui convenientes in unum, Perigenem patrensibus praeficiendum atque ordinandum decreverunt, eumque tunc in epistola synodica ad apostolicam sedem missa „sanctum et instituti optimi qualitate pollentem" praedicarunt.

[2]) Perigenem patrensibus proprius metropolitanus, hoc est Corinthiorum antistes, episcopum ordinavit. Idcirco *in locum creatoris sui* postea subrogatus mox dicitur.

aliquando locum subrogari posset, quia [1]) fuerat ab aliis ordinatus. Non ambigo coelestis tunc istud fuisse sententiae.

4. Qua [2]) vel consensu qui illic auctoritatem sedis apostolicae praesentabant, eum in nostrorum numerum recipimus: et in eos necesse est vigorem censurae, qui contra nostrum factum post haec nescientibus nostris incitare dicuntur populos, si perstiterint, exseramus. Quod quidem et dilectionem tuam in eos ex nostra praeceptione facere volumus: ut eorum licentiam, quibus nihil tale commisimus, refrenemus.

---

[1]) Legendum videtur, „qui aliis fuerat ordinatus.“ Socrates lib. 7. c. 36. aliquot prolaturus exempla, quibus episcopos aliquando transferri licere approbet, hoc primum ponit: „Perigenes Patris ordinatus fuerat episcopus: sed quoniam ejus civitatis incolae illum admittere recusabant, romanae urbis episcopus eum in metropolitana sede Corinthi constitui jussit, mortuo illius episcopo.

[2]) Integra fiet sententia, si legatur in hunc modum: Quare cum consensu eorum, qui illic auctoritatem sedis apostolicae repraesentabant seu repraesentant. Sed haec cum subnexis ad finem subsequentis epistolae pertinere, et quae in eadem epistola toto numero 4. continentur, huc referenda esse, jam superius praemonuimus.

EPISTOLA II.

BONIFACII AD RUFUM.

Rufi in implendo vicarii apostolicae sedis officio vigilantia laudatur. Idem explicatur officium. Memorat Bonifacius plures episcopos suas ipsius literas Rufi opera ad eos perlatas comprobasse; eaque occasione in Perigenis laudem excurrit.

Dilectissimo fratri Rufo Bonifacius.

---

1. Credebamus post epistolas nostras pro ecclesiasticae disciplinae observatione transmissas, omnibus aditum praesumptionibus praecludendum, cum ad consultationem dilectionis tuae praebuissemus debitum pro causarum aestimatione responsum; constituentes ea debere servari, quae ecclesiastica exigit disciplina. Sed quantum nunc tuae sanctitatis nobis relatio patefecit, apud plerosque valuisse quod scripsimus; apud quosdam autem admonitionem nostram inefficacem cognovimus fuisse. Nec hoc fra-

ternitati tuae possumus imputare, cum te anxium pro commissa tibi ecclesiarum sollicitudine et rebus et literis sentiamus. Vigilantiae tuae laudamus industriam, qui ne videaris tibi commissa negligere, id non praetermittis literis indicare, quod sedis apostolicae debeat censura corrigere: hunc te Dei nostri habere professus timorem, quem prudentissimo inesse convenit sacerdoti; qui tunc tibi esse poterit gloriosus, si ea, quae curae tuae commissa sunt, prodesse ecclesiis fuerimus experti. Intuetur enim te, ut epistolis tuis ipse fideliter es locutus, beatissimus Petrus apostolus oculis suis, qualiter summi rectoris utaris officio. Nec potest tibi esse non proximus, qui pastor dominicarum ovium est perpetuus constitutus; aut aliquam ubivis positam ecclesiam non curare, in quo universalis Ecclesiae positum legimus fundamentum.

2. Te ergo, frater carissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice sedis apostolicae a nobis creditas recognosces: ut et prava corrigas, et dissipata componas; et si quae inter episcopos eveniant causae, sub divini judicii timore distinguas: ut creditis tibi a sede apostolica gubernaculis con-

tra omnes fluctus nascentium procellarum juste et prudenter utaris.

3. In notitiam singulorum, ad quos ante jam scripsimus, quem deberent tramitem custodire, nostras te epistolas pertulisse dixisti, quibus debitum se commodare consensum plurimi sacerdotum sacrarum traditionum memores sunt professi; quos fraterna caritate complexi [1]). Tales esse cognoscimus coepiscopum nostrum Adelphium, vel fratrem Perigenem, cui beati sermo concilii [2]) jam dudum adstipulator accessit. Ad episcopatus speculam jam vocabat [3]) Dei, inquam, sententia, cujus beneficia saepe credimus esse contraria; et in adversum vertimus, quae post recognoscimus profuisse. Quam rem confirmat negotii praesentis exemplum. Tristis absque dubio coepiscopus noster Perigenes fuit, cum eum nemo susciperet ordinatum. Nonne huic hoc expediens erat, ut hunc civitate sua patrenses populi unitae voce contradictionis arcerent? Sed quanto

---

[1]) Supple *sumus*.

[2]) A quo scilicet primum patrensibus episcopus fuerat ordinatus, uti epist. I. al. 4. n. 3. disertius exponitur.

[3]) Si suppleamus hic, *eum Dei sententia*, recte sequetur, *Dei inquam*.

inclinatus [1]) fuit, cum eum ordinatum nemo suscepit, tanto sublimior nunc est, cum a suis poscitur, qui ab externis fuerat refutatus. Evidens enim Dei manifestumque judicium, qui eum id temporis voluit praestolari, quo mereretur huic ecclesiae praesidere, in qua et natus asseritur et renatus.

4. Frater carissime, quoniam prudentiae tuae injunctorum vel delegatorum pondus incumbit, petitio [2]) supplicum vel diligentiae tuae electae jam dudum vel vicinitatis ratione te respectat. Quam quidem petitionem non absque admiratione perlegimus, propterea quod tuis epistolis privaretur. Omnibus eo, quem res exigunt, ordine celebratis, aliqua ad nos scripta transmittas: nolumus enim coepiscopo Perigeni nostram paginam desti-

---

[1]) Supple *magis inclinatus* i. e. abjectus, despectus.

[2]) Manifestum est, *petitionis* loco, *petitio* restituendum esse. Item *perspectat*, pro *te respectat*, irrepsisse suadet illud num. 2. „Te omnis cura respectat earum ecclesiarum.“ Duplici igitur ratione corinthiorum petitionem ad Rufum attinere Bonifacius docet, prima speciali, qua dudum ab Innocentio ad cognoscendas hujusmodi causas jam electus fuerat; altera communi, quatenus corinthiis vicinus erat metropolitanus.

nare prius, quam tuas accipiamus epistolas, cujus ordinationi videntur omnia delegata. Accelerabis id agere propter desiderium postulantium. Melius enim nosse dignaris, eos in hanc precem sola, ut arbitror, erga religionem devotione fervere: maxime cum irreprehensibiliter eum asserant per annos innumeros in presbyterii honore durasse, et non indebito saltu, sed a summum gradatim venisse fastigium. Cui ad plenitudinem confirmationis episcopatus sui hoc solum residet, quod nostros in honore suo necdum suscepit affatus. Intelligere autem tuam non ambigo caritatem hoc non absque admiratione, quod et huic videmur nostram paginam non misisse, et supplicibus praebuisse responsum. Actum a nobis est, ut et apostolicae sedis auctoritas, et dilectionis tuae honorificentia servaretur. Data 13. Kal. Octobr. Monaxio v. c. consule [1]).

---

[1]) Id est 19. Sept. 419. Cf. tamen de hoc. n. quae diximus in annot. 2. ep. praecedentis. pag. 151.

EPISTOLA III.

BONIFACII AD RUFUM.

Rufum de concessa sibi vicarii B. Petri dignitate ac munere Bonifacius admonet, communicatque cum eo, et quid circa varia, quae illis in partibus agitantur negotia, ad Thessalos scripserit, et quid ipsi agendum restet.

Dilectissimo fratri Rufo Bonifacius.[1])

1. Retro majoribus tuis super provinciis apostolicae sedis injunctum diligenter a tua caritate debet impleri. Causae etenim ecclesiarum per eas provincias positarum pervigili sunt circumspectione curandae. Ita quippe vice sua beatus apostolus Petrus ecclesiae thessalonicensi cuncta commisit, ut intelligat se sollicitudinem manere multorum: quam minorem facere nova [2]), quae vires ha-

---

[1]) In edit. Coustantii 13. Scripta 3. Martii a. 422.

[2]) Novorum illorum tentamentorum nomine intelli-

bere non possunt, tentamenta non debent. Non est enim eorum cedendum studiis, quos novitas rerum, et indebitae desiderium dignitatis accendit: sed elaborandum est, et Deo nostro favorem praestante certandum, ut quisquis contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. Quapropter, frater carissime, fretus jam dudum a te auctoritate suscepta, contra inimicas turmas idoneus Dei nostri miles armare. Nihil hic timebis dubii, nihil incerti formidabis eventus. Habes beatum apostolum Petrum, qui ante te pro

---

git Holstenius rescriptum Theodosii in favorem sedis Constantinop. contra jus rom. sedis in ecclesias Illyrici anno antecedente extortum: eique favere videntur subnexa: „Non est enim eorum cedendum studiis, quos novitas rerum et indebitae desiderium dignitatis accendit.“ Nam illud *indebitae desiderium dignitatis* ad unum Atticum attinet. Sed eorum nomine, „quos novitas rerum accendit,“ intelligere licet thessalos, qui Attico assentari studentes nova quaedam tentarint, ob quae sedis apostolicae offensam et a Bonifacio „comminationis et correptionis plenas literas“ meruerunt. Neque vero, si integrum ac nondum rescissum tum mansisset Theodosii praeceptum, quo apostolicae sedis jus in Illyricum ad regiae urbis antistitem transferebatur, Bonifacius n. 2. tam fidenter Rufo fuisset dicturus: „In ceteros etiam contumaces jus concessae potestatis exerce.“

sua possit vi repugnare. Nolo perturbatione maris conciti terrearis. Fidem quippe, quam in arcano tui pectoris portas, omnibus rebus certum est esse majorem. In nullo te turbo, in nullo penitus procella vexabit. Non patitur ille sedis suae perire privilegium te laborante piscator. Omnis tumor fluctuum, omnis procella cessabit, eo favente nisibus tuis, cui soli mare pervium fuit. Aderit nimirum, et violatores canonum atque ecclesiastici juris inimicos Deo auctore compescet, qui talium mentium semper vota frustratur.

2. In ceteros etiam contumaces jus concessae potestatis exerce. Nullum etenim locum vides a nobis otiosum relictum. Ad thessalos comminationis et correptionis plenas literas misimus. Ad synodum, quae dicitur illicite congreganda [1]) de causa fratris nostri et coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse; deinde, de nostro non esse judicio retractandum.

[1]) Scil. Corinthi. De Perigene cf. epistolas praecedentes 1. et 2.

Nunquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari. In qua pagina nostra, ut condecuit, honorem debitum tuae servavimus sanctitati, sicut ejus caritas tua lectione cognoscet.

3. Perrevii autem coepiscopi nostri negotium, cujus nobis libellus ab eodem destinatus fecit indicium, cui consacerdotes sui molesti nimis esse dicuntur, ita ut eum ecclesia sua crederent esse pellendum, diligenter audire tuam volumus caritatem, conventis supradictis coepiscopis nostris, quorum se vim sustinere deplorat. Tunc demum, ut intelligant, si quid a se factum est contra consuetudinem, prius esse cassandum, omnibus vestigatis ad nos tua caritas referre maturet, quatenus prolatum a tua fraternitate judicium sententia nostra valeat roborari.

4. Sane in epistola thessalis fratribus destinata id a nobis scriptum volumus recognoscas, Pausianum, Cyriacum atque Calliopum a nostra communione penitus submovendos: ita ut remedium solum interventionis tuae gratiam se habere cognoscant. Maximum autem, quem male tua caritas retulit ordinatum, in totum sacerdotii censemus honore privandum.

5. Tuae caritatis est Severum apostoli-

cae sedis notarium, animis acceptissimum nostris, de nostro proprio latere [1]) destinatum, peractis omnibus, tota celeritate dimittere; ut gestarum ordinem rerum eodem festinius revertente noscamus. Data 5. Idus Martias, Honorio 13. et Theodosio 10. Augustis consulibus.

---

[1]) Hoc est, unum ex iis, qui lateri nostro adhaerere solent, adeoque nobis noti, familiares, probati atque cari sunt.

EPISTOLA IV.

BONIFACII AD EPISCOPOS PER THESSALIAM.

Concessa Rufo potestas, quam nonnulli contemnebant, asserta primum apostolicae sedis auctoritate, confirmatur.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Thessaliam constitutis Bonifacius [1]).

---

1. Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias, religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicaenae synodi non aliud praecepta testantur: adeo ut non aliquid super eum ausa sit [2]) constituere, cum vide-

---

[1]) In edit. Coustantii 14. Scripta 11. Martii 422.

[2]) Scil. can. 6. ubi in veteribus codicibus legitur: „Ecclesia romana semper habuit (non ut Quesn.

ret, nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum; a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage.

2. Audio episcoporum quosdam, apostolico jure contempto, novum [1]) quidpiam contra

---

praetulit, *habeat*) primatum.“ Quo respiciens Nicolaus I. epist. 8. ait: „Si instituta nicaenae synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia romanae ecclesiae nullum eadem synodus contulit incrementum: sed potius ex ejus forma, quod alexandrinae ecclesiae tribueret particulariter, sumpsit exemplum.“ Eodem pertinet et quod Gelasius epist. 33. n. 1. scripsit: „Romana ecclesia nullis synodicis ceteris ecclesiis praelata est: sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit. „Ista igitur privilegia, inquit Nicolaus I. aliquanto ante mox citata verba, huic Ecclesiae Christi a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata.“ Coust.

[1]) Ii nunc dicuntur „novum quidpiam contra Christi praecepta tentare,“ quorum *nova tentamenta* in superiore epistola n. 1. arguuntur. Ex quo colligitur, tentamenta illa nova non solius Attici, sed maxime nonnullorum Thessaliae episcoporum fuisse; atque hanc culpam non tantum in illegitima Maximi ordi-

Christi proprie praecepta tentare, cum se ab apostolicae sedis communione, et, ut dicam verius, potestate separare nituntur, eorum [1]) petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. Leguntur etenim praecepta majorum; et quibus in ecclesias juris aliquid dederint invenimus. Jam temerator est ecclesiasticae disciplinae, quisquis in ejus leges, cum sibi nihil debeatur, irrepit ea sibimet vindicando, quae sibi a patribus negata videantur.

3. Accipite ergo admonitionem et correptionem nostram, ex quibus unam [2]) pontifi-

---

natione, sed et in violatione juris apostolicae sedis, quod Christi praeceptis sit fultum, sitam esse.

[1]) Attici scilicet, de cujus sede Gelasius papa epist. 18. n. 10. haec edisserit: „Si certe de dignitate agitur civitatum, secundae sedis et tertiae major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quae non solum inter sedes minime numeratur, sed nec, ut habet Leo epist. 195. n. 3. quisquam apostolicam facere potest sedem;“ imo ut prosequitur Gelasius, „nec inter metropolitanorum jura censetur.“ Non immerito igitur Bonifacius nunc ei datum esse negat, *ut majoris esset potestatis.*

[2]) Forte *participibus*, hoc est in nostra communione permanentibus, quibus opponuntur dissidentes, hoc est ab ipsius Bonifacii communione seu potestate separare se nitentes.

cibus, alteram dissidentibus exhibemus. Nam ideo ait Apostolus: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate et in spiritu mansuetudinis* (1. Cor. 4, 21)? Scitis enim beato Petro utrumque possibile, id est in mansuetudine mites, in virga superbos arguere.

4. Ergo servate honorem debitum capiti: quia nolumus, ut intra se membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos usque certamen; dum fratrem et coepiscopum nostrum Rufum dignum ducitis contemptu: cui nihil novum auctoritas nostra concedit sequens priorum [1]) gratiam, qua huic cura ecclesiarum saepe videtur injuncta. Quod factum ita intemeratum servari volumus in futurum, sicut a patribus hujus dispositionis forma servata est. Non decet fratres alterius dignitate morderi. Certe si in quoquam ejus supra debitum fuit visa correptio, quoniam ideo tenet sedes apostolica principatum, ut que-

---

[1]) Saltem Damasi, Siricii et Innocentii, ut etiam Nicolaus I. epist. 2. ad Michaelem meminit. Ex quo perspicuum est, nonnullos thessalonicensi episcopo concessam potestatem velut quid novum objecisse, indeque Theodosio datam esse occasionem, ut illam ad regiae urbis episcopum transferret.

relas omnium licentes[1]) acceptet; interpellari nos super hoc missa legatione convenerat, quos curam omnium rerum manere videatis. Cesset novella praesumptio. Nemo audeat sperare quod non licet. Nullus ea, quae sunt a patribus gesta, et per tantum temporum custodita, temerare contendat. Ordinationi nostrae pareat, quisquis se episcopum recognoscit. Episcopos per Illyricum citra conscientiam coepiscopi nostri Rufi nullus ordinare praesumat. *Et cetera.* Data 5. Idus Martias Honorio 13. et Theodosio 10. Augustis consulibus.

---

[1]) Loco verbi *licentes*, quod Holsten. ex archetypi fide retinuerat, substituit Lab. *licenter*. Non displicet *gliscentes*. Sic tamen *licenter* accipere est, quasi *quae liceant*, ceu *quae licitae sint*.

EPISTOLA V.

BONIFACII AD EPISCOPOS PER MACEDONIAM, ACHAIAM etc.

Significat Bonifacius negotium Perigenis, quem corinthiis non inconsulto episcopum dederat, Illyrici episcopis discutere ac recognoscere non licere; ac si qui id aggrediantur, in sua eos communione non permansuros. Rufi in easdem provincias potestatem identidem, disertius autem in fine explicat.

Dilectissimis fratribus Rufo et ceteris episcopis per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Praevalin et Daciam constitutis Bonifacius [1]).

---

1. Manet beatum apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis ecclesiae ab hoc sollicitudo suscepta; quippe quam,

[1]) In edit. Coustantii 15. Scripta 11. Martii 422.

Evangelio teste, in se noverit esse fundatam (Matth. 16, 18): nec unquam ejus honor vacuus potest esse curarum; cum certum sit, summam rerum ex ejus deliberatione pendere. Quae res animum meum usque ad Orientis loca, quae per ipsam sollicitudinem quodam modo videmus, extendunt. Indesinenter enim ab unoquoque illinc veniente percontor de pace fratrum, id est, de quiete pontificum, quae solet quoties diabolus huic invidet, alicujus praesumptione turbari. Cum igitur ad nos ordine suo cuncta servari fama nunc usque detulerit, vehementer mirati sumus ejus rei stupentes, ut poscebat ratio relatorum, quam in injuriam patrum intentio novella tentavit.

2. Certo enim cognovimus indice, apud Corinthum, quod exagitati dicimus, synodum congregandam super ejus discutiendo statu, quem corinthiis apostolica sedes examinatis omnibus atque discussis constituit sacerdotem [1]); secuta Dei voluntatem, quae hunc ipsum, quantum docetur dilationibus temporum, ejus ovilis, in quo creverat et cui creverat, voluit esse pastorem. Cujus ordinationis si vestra esset caritas ignara, liben-

---

[1]) Cf. supra ep. 1, 2. al. 4, 5.

ter ab origine sua quae sunt in praeterito de eo gesta [1]) retexerem; ut his, quorum adspectus negotii ejus non per ignorantiam, sed per studium involvit obscurum, manifestatione clareret, sententiam de eo specialiter fuisse divinam, qua, ut diximus, ecclesiae Corinthiorum velut alumnum suum judicium coeleste servavit. Quam rem omnium civium et clericorum a nobis oppido postulavit assensus. Nec tamen id abrupte praeceptio nostra constituit: sed, ut ecclesiastica disciplina poscebat, diligentius fratrem et coepiscopum nostrum Rufum negotii jussimus interiora rimari, et petitionis summam sua de proximo moderatione pensare; ut nihil immaturum ab hac sede fieri videretur, quae aliorum praesumptiones saepe compressit. Ad nos post aliquanti temporis spatium super hoc praedicti episcopi nostri, quae praemissis desideriis convenirent, scripta venerunt: quorum evidentissimam rationem

---

[1]) Ejus scilicet synodi, quae Perigenem patrensium episcopum ordinarat, in cujus epistola praeclarum exstabat de ipso testimonium, iterato jam relatum. Mox *quorum adspectus* perinde est atque *quorum mentes*, in accusandi casu pluralis numeri, ac subinde *obscurum* id quod *obscuritas*.

secuti, dedimus hunc ecclesiae illius esse pontificem, in qua per singulos honorum gradus praeteritam quoque transegisset aetatem.

3. Quam ad rem faciendam memorato episcopo mea directa secunda protinus, quae presbyterio universo complacuit, auctoritate [1]) mandavi, retro majores secutus, qui ecclesiam thessalonicensem sibi semper familiarem et in collegii caritate famulantem dignam, sicut fides asserit scriniorum, hoc honore duxerunt. Quem fratri Rufo apostolicae etiam in posterum gratia sedis indulget; sequax Domini, qui exaltat humiliatos, et humiliat semper elatos; dum illis gratiam tribuit, his resistit (1. Pet. 5, 6).

4. Quantum est ergo humilitatis munus, quod gratiae divinae lance pensatur? Et quanta est poena superbiae, cui proprie totius mundi Dominus et rector obsistit? Melius autem fraternitati vestrae intelligendum relinquo quis humilitatis, et quis superbiae sit magister. Sed absit hoc a Domini sacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut nova quidpiam usurpatione ten-

---

[1]) *Auctoritate* i. e. epistola.

tando, inimica sibi faciat scita majorum: aemulum se illum specialiter habere cognoscens, apud quem Christus noster sacerdotii summam locavit. In cujus contumeliam quisquis insurgit, habitator coelestium non poterit esse regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo claves regni coelorum*, in quae nullus sine gratia janitoris intrabit. *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 19). Quicunque igitur cupit etiam ante Deum nostrum sacerdotii dignitate censeri; quoniam ad Deum Petro suscipiente pervenitur, in quo Ecclesiam, sicut supra memoravimus, universalem certum est esse fundatam, debet esse mitis et humilis corde: ne incipiat discipulus contumax illius, cujus superbiam imitatus est, poenam subire doctoris.

5. Congregatur ergo, ut redeamus ad causam hujus injuriae, synodus [1]), cujus dilecto consultum semper superhabens concilii

---

[1]) Locus mendosus resarciri sic posset: „Quae de electo consultum superni insuper habens consilii recognoscat arcanum.“ Expostulat quippe de episcopis, quod de Perigenis causa recognoscere vellent judicium apostolicae sedis, quae consulto ea de re coelestis consilii arcano „secuta Dei voluntatem“ erat, ut supra n. 2. dicitur.

recognoscat arcanum: et fiet, quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris et coepiscopi nostri Perigenis honor dubius et incertus, quem in sede ecclesiae supradictae nostra sententia collocavit. Quis ergo hunc rudis et peregre fortasse nunc demum rediens accusator incessit? Quis certe antistitum, ut fratrum conveniret turba, praecepit, lectis epistolis nostris? Quoniam locus exigit, si placet recensere canonum [1])

---

[1]) Nicaenorum videlicet, quorum sexto distinguitur ordo sedium, maxime secundum lectionem, quae in vetere codice olim Fossatensi, nunc Colbertino, et aliis nonnullis obtinet in hunc modum: „Ecclesia romana semper habuit primatum. Teneat autem Aegyptus Libyae et Pentapoli (apud Quesn. Pentapolis) primatum, ita ut episcopus Alexandriae harum omnium habeat potestatem; quoniam et romano episcopo haec est consuetudo. Similiter autem et qui in Antiochia constitutus est. Itaque et in ceteris provinciis privilegia salva sint ecclesiarum." Ad eundem canonem respicit Leo epist. 95. n. 3. ubi Anatolii, qui secundum in Ecclesia locum affectabat, ambitioni intercedit hac ratione: „Ad meum tendit reatum, si paternarum regulae sanctionum, quae in synodo nicaena ad totius Ecclesiae regimen spiritu Dei instruente sunt conditae, me, quod absit, connivente violentur." Quod autem Bonifacius non alios hic indicet canones a nicaenis, rursum confirmatur ex his ejusdem Leonis epist. 97. n. 3. ad Anatolium

sanctiones; reperietis quae sit post ecclesiam romanam secunda sedes, quaeve sit tertia. A quibus ideo ita rerum videtur ordo [1]) distinctus, ut se ecclesiarum pontifices ceterarum, sub uno tamen eodemque sacerdotio, habere cognoscant quibus caritate servata propter ecclesiasticam disciplinam debeant

---

verbis: „Doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas nicaenorum canonum constitutiones conareris infringere, tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes alexandrina perdiderit, et antiochena ecclesia proprietatem tertiae dignitatis amiserit.“ Et n. 4. approbat Leo legatos suos, qui in calcedonensi concilio vehementer obstiterant, ne tale privilegium constantinop. sedi concederetur, „aperte reclamantes ne contra instituta nicaena praesumptio reprobae novitatis assurgeret.“ Coust.

[1]) Id quod de sacerdotii unitate paucis Bonifacius hic docet, Cyprianus sub initium lib. de unit. eccl. pluribus explicat. Ubi enim observavit Dominum parem quidem apostolis omnibus potestatem tribuisse, verum „ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituisse, et unitatis ejus originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuisse;“ post pauca subjicit: „Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars una tenetur.“ Eadem mente Augustinus ipsummet Bonifacium supra epist. 6. sic alloquitur: „Communis est omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio, quamvis in ea ipse praemineas celsiore fastigio, specula pastoralis.“

esse subjecti. Et quidem haec sententia canonum a vetustate duravit, ut nunc usque Christo nostro favente perdurat. Nemo unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. Servant ecclesiae magnae praedictae per canones dignitates, alexandrina et antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam. Servant, inquam, statuta majorum, in omnibus deferentes, et ejus vicissitudinem recipientes gratiae, quam se in Domino, qui pax nostra est, nobis debere cognoscunt.

6. Sed quia res postulat, approbandum documentis est, maximas Orientalium ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper consuluisse romanam, et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse. Sanctae memoriae Athanasius et Petrus alexandrinae sacerdotes ecclesiae, hujus sedis auxilium postularunt. Cum antiochena ecclesia per multum temporis laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum saepe discursus, primo sub Meletio, postea sub Flaviano, apostolicam sedem manifestum est esse consultam. Ad cujus auctoritatem post multa, quae ab ec-

clesia nostra gesta sunt, nemini dubium est Flavianum communionis gratiam [1]) recepisse; qua in perpetuum caruerat, nisi hinc super hoc scripta manassent. Clementissimae recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem propterea, quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum epi-

---

[1]) Istud contigit proxime post ordinationem Joannis Constantinop. episcopi. Tunc enim Acacius Beroeae episcopus una cum Isidoro et aliquot aliis presbyteris ac diaconis antiochensis ecclesiae Romam veniens, non solum ordinationis Joannis decretum, sed et „Flaviani cum Theophilo communionem, ut loquitur Palladius in dial. pag. 51. attulit." Hac occasione romanus pontifex pacem a Theophilo compositam scriptis ad Flavianum datis confirmavit. Haec autem scripta vel Siricio vel ejus successori Anastasio attribuenda sunt. Huic Flaviani exemplo adjicere potuisset Bonifacius alterum Porphyrii, qui cum paulo post ejusdem Flaviani vita functi locum usurpasset, teste Palladio dial. pag. 131. „ad romanam ecclesiam scripsit, et responso dignus habitus non fuit": quia nimirum, ut idem Palladius pag. 28. narrat, „ordinationem ejus contra jus et fas factam romano pontifici" Innocentio antiochensis ecclesiae presbyteri nunciarant. Unde liquet simul et Porphyrium operam dedisse, ut Innocentius suam ipsius ordinationem ratam haberet, et antiochenos presbyteros cavisse, ne idem papa illam admitteret. Coust.

scopis, formatam [1]) huic a sede romana dirigi regulariter depoposcit, quae ejus sacerdotium roboraret. Ante breve tempus, id est, sub praedecessore meo beatae recordationis Innocentio Orientalium ecclesiarum pontifices, dolentes se a beati Petri communione sejunctos, per legatos pacem, sicut caritas vestra retinet, poposcerunt. Quo tempore apostolica sedes omnia non difficulter indulsit, illi parens magistro qui ait: *Si cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego si quid donavi propter vos in persona Christi: ut non possideamur a satana; non enim ignoramus versutias ejus* (2. Cor. 2, 10 et 11): id est, quia semper dissensione laetatur.

7. Quoniam igitur ad probandam veritatem arbitror, quae diximus, fratres carissimi, exempla sufficere, quamvis plura vestri notione teneantur; absque fraternitatis injuria conventui vestro volumus his literis obviatum, quas a nobis per Severum apostolicae sedis notarium, animis acceptissimum nostris, e nostro latere destinatum videatis esse direc-

---

[1]) Formatae nomine intelliguntur hic literae communionis indices, quibus recentis episcopi ordinatio approbatur.

tas, convenientes ut condecet fratres, ne quis volens in nostra communione durare, fratris et coepiscopi nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat: cujus sacerdotium apostolus Petrus semel jam Spiritus sancti suggestione firmavit, nihil huic relinquens in posterum quaestionis, cui dum constitueretur a nobis per ejus temporis spatium quo vacavit, nihil omnino constet objectum. Cesset accusatio, cujus invidiam probamus auctorem. Solvatur machina falsitatis in eum compositae; quia ad sacerdotium Dei nostri et omnium bonorum favore, pervenit.

8. Sane quoniam servandus accusatori locus est, ne [1]) audentiam penitus incitare videamur, si quid ab eodem postquam episcopus nostris est auctoritatibus constitutus, contra disciplinam et propositum sacerdotii fertur admissum, coepiscopus noster Rufus, cui ad vicem nostram cuncta committimus, cum ceteris fratribus, quos ipse delegerit, negotium curabit audire; ad nostram relaturus omnia notionem, quaecunque cognitioni ejus rerum cursus et ordo monstrarit.

---

[1]) Legendum forte, „ne audientiam penitus incidere," hoc verbo posito pro abscidere ac negare.

9. Illud etiam, quoniam auctoritas nostra commonitione solita vacare non debet, hortamur et repetito saepius sermone praecipimus, ut in omnibus huic viro obedientiam dispositionibus commodetis. Nullus, ut frequenter diximus, alicujus ordinationem citra ejus conscientiam celebrare praesumat, cui, ut supra dictum est, vice nostra cuncta committimus. Sibi certe hujus praesumptionis auctores imputabunt in posterum, cum se viderint apostolicae caritatis extorres. Data 5. Idus Martias Honorio 13. et Theodosio 10. Augustis consulibus.

EPISTOLA I.

COELESTINI PAPAE I.

ad

EPISCOPOS PROVINCIAE VIENNENSIS ET NARBONENSIS.

1. Quod non debeant sacerdotes aut clerici palliis amicti aut praecincti lumbis in ecclesia ministrare. 2. Quod nulli sit ultima poenitentia deneganda. 3. Quod per gradus ecclesiasticos ad episcopatus debeat officium perveniri. 4. Quod unaquaeque provincia suo metropolitano debeat esse contenta. 5. Quod nolentibus nemo debeat episcopus ordinari. 6. Quod ab illicitis sit ordinationibus abstinendum.

Coelestinus universis episcopis per viennensem et narbonensem provincias constitutis[1]).

---

1. Cuperemus quidem de vestrarum ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut con-

---

[1]) In editione Coustantii 4. scripta 26. Jul.

gratularemur potius de profectu quam aliquid admissum contra disciplinam ecclesiasticam doleremus. Ad nostram enim laetitiam et bene facta perveniunt, et moeroris aculeis nos quae fuerint male facta compungunt. Nec silere possumus, cum ad hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu; in speculis a Deo constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes, et quae coercenda sunt resecemus, et quae observanda sunt sanciamus. Circa quamvis longinqua spiritalis cura non deficit, sed se per omnia, qua nomen Dei praedicatur, extendit: nec notitiam nostram subterfugiunt, quae in eversionem regularum novellae praesumptionis auctoritate tentantur.

Cap. I. 2. Didicimus enim, quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. Sed non mirum, si contra ecclesiasticum morem faciunt, qui in Ecclesia non creverunt, sed alio venientes e ritu, secum haec in Ecclesiam, quae in alia conversatione [1])

---

428. Coelestinus, Bonifacii successor, sedit ab a. 422—432.

[1]) Hoc est, in alio vivendi genere. Censet Cou-

habuerant, intulerunt; amicti pallio, et lumbos praecincti, credentes se Scripturae fidem, non per spiritum, sed per literam completuros. Nam si ad hoc ista praecepta sunt (Lucae 12, 35), ut taliter servarentur: cur non fiunt pariter quae sequuntur, ut lucernae ardentes in manibus [1]) una cum baculo teneantur? Habent suum ista mysterium, et intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis qua decet significatione serventur. Nam in lumborum praecinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur: *Opera vestra luceant* (Matth. 5, 16), indicantur [2]).

---

stantius hic eos notari, quos ex monasteriis ad ecclesiarum regimen narbonensis aliaeque vicinarum provinciarum civitates accersere amabant.

[1]) Haec verba, *una cum baculo*, in uno ms. Colb. et altero Laudun. desunt. Ea omittenda non esse ex subnexis planum est. Eane a Coelestino in Evangelio Lucae tunc lecta sunt, quae nunc in nullo exemplari legimus? Nihil forte aliud voluit ille papa, nisi ut ostenderet quam incommodum foret, si praesules cum baculo, quem ecclesiastico usu gestare solent, etiam lucernas ardentes in manibus ex evangelicae literae praescripto tenerent.

[2]) Permittit quippe Coelestinus habitum illum singularem remotiorum locorum habitatoribus, hoc est

Habeant tamen istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, et procul a ceteris degunt. Unde hic habitus in ecclesiis gallicanis, ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi [1]) a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim sunt potius, quam ludendi. Nec imponendum eorum est oculis, sed mentibus infundenda praecepta sunt. Erant quidem multa, quae pro disciplina ecclesiastica vel ipsius rei dicere ratione possemus, sed ab his ad alia revocamur.

Cap. II. 3. Agnovimus poenitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis

---

monachis, qui procul a ceteris hominibus degebant, cujusmodi erant lirinensis insulae incolae. Jam igitur mos et usus obtinuerat, ut a vulgo monachi vestibus secernerentur.

[1]) Inde confici censent eruditi, laicorum clericorumque vestes primis Ecclesiae seculis fuisse communes.

annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad poenitentiam, sic promittat: *Peccator*, inquit, *quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei* (Ezechielis 33, 15). Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, sed tantum convertatur, et vivat* (Ibid 18, 23). Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis praeteriti tempore poenitentiam denegarit [1]). Et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non

---

Nominatim vero Sirmondus apud Lab. to. 2. concil. pag. 1817. clericos a ceteris non in vita solum communi, sed et sacro in ministerio habitu indiscretos fuisse adstruit.

[1]) Clarior est sensus si legimus: quisquis mortis tempore poenitentiam praeteriti denegarit.

credidit. Perdidisset latro praemium in cruce ad Christi dexteram pendens, si illum unius horae poenitentia non juvisset. Cum esset in poena, poenituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est aestimanda, non tempore propheta hoc taliter asserente: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris* (Ezech. 18, 30). Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda poenitentia postulanti, cum illi se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

Cap. III. 4. Ordinatos vero quosdam, fratres carissimi, episcopos, qui nullis ecclesiasticis ordinibus ad tantae dignitatis fastigium fuerint instituti contra [1]) patrum decreta, hujus usurpatione, qui se hoc recognoscit fecisse, didicimus; cum ad episcopatum his gradibus, quibus frequentissime cautum est, debeat perveniri, ut minoribus initiati officiis, ad majora firmentur. Debet

---

[1]) Siricii videlicet epist. 5. n. 5. Innocentii epist. 37. n. 4. Zosimi epist. 9. n. 2.

enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit. Omnis vitae institutio hac ad id quo tendit se ratione confirmat. Qui minime literis operam dederit, praeceptor esse non potest literarum. Qui non per singula stipendia creverit, ad meritum stipendii ordinem non potest pervenire. Solum sacerdotium inter ista, rogo, vilius est? quod facilius tribuitur, cum difficilius impleatur?

5. Sed jam non satis est laicos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit: sed etiam quorum crimina longe lateque per omnes pene sunt nota provincias ordinantur. Daniel nuper missa relatione ex Orientalibus ad nos partibus, ab omni quod tenuerat virginum monasterio nefariis est objectionibus accusatus. Multa de multis objecta flagitia. In quanam lateret terrarum parte quaesitus est, ut si suae innocentiae confideret, contra se judicium postulatum minime declinaret. Missum ad arelatensem episcopum per Fortunatum subdiaconum nostrum, ut ad judicium destinaretur, epistolium. Tantis gravatus testimoniis, tanta facinorum accusatione pulsatus, sacrarum ut dicitur, virginum pollutus incestu, episcopus asseritur ordinatus (in nostris libelli scriniis continentur, quorum ad

vos quoque exemplaria direximus): in pontificii dignitatem hoc tempore, quo ad causam dicendam missis a nobis literis vocabatur, obrepsit. Sacro nomini absit injuria. Facilius est ut hanc dignitatem tali dando ipse amiserit ordinator, quam eam obtineat ordinatus: cui convicto sociabitur, qui eum sibi credidit, largiendo pontificium, sociandum. Qualis enim ipse sit, quisquis tales ordinarit, ostendit. His ergo in medium nunc deductis, cum plerique vestrum sint, qui apostolicae sedis statuta cognoverint, nobiscum tempore aliquanto versati, ad disciplinae normam, nostris conventa adhortationibus, omnia fraternitas vestra revocare festinet.

Cap. IV. 6. Primum, ut juxta decreta canonum unaquaeque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad narbonensem episcopum continent constituta, nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus: alter in alterius provincia nil praesumat.

7. Nec emeritis in suis ecclesiis clericis peregrini et extranei et qui ante ignorati sint ad exclusionem eorum, qui bene de su-

orum civium merentur testimonio, praeponantur: ne novum quoddam, de quo episcopi fiant, institutum videatur esse collegium.

Cap. V. Nullus invitis detur episcopus. Cleri, plebis et ordinis consensus ac desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt [1]), ut aliqui de alienis ecclesiis merito praeferantur. Habeat unusquisque suae fructum militiae in ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit aetatem. In aliena stipendia minime alter obrepat: nec alii debitam alter sibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint praegravari: et quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare. Qui si non debitum praemium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium.

Cap. VI. 8. Abstineatur ab illicitis

---

[1]) Primum examine instituto cognoscendum est, utrum omnes civitatis clerici episcopatu sint indigni proin reprobandi, antequam alterius civitatis clericus in episcopum eligatur.

ordinationibus. Nullus ex laicis, nullus digamus, nullus, qui sit viduae maritus aut fuerit, ordinetur: sed irreprehensibilis, et qualem elegit Apostolus, fiat. Per Moysen Dominus praecepit: *Virginem accipiat sacerdos uxorem* (Levitici 21, 13). Subsequitur et supplet Apostolus, eodem locutus spiritu, *unius uxoris virum* (1. Timoth. 3, 2) debere episcopum consecrari. Ad hanc ergo eligantur formulam sacerdotes, et si quae factae sunt ordinationes illicitae, removeantur: quoniam stare non possunt, nec discussionem nostram subterfugere poterunt, quamvis latere se aestiment qui aliter pervenerunt, ut nulla religionis reverentia obscuritate fuscetur. Non sit vana gloriatio palliatis. Episcopalem morem, qui episcopi sunt, sequantur.

9. Daniel, ut diximus, qui accusationem pontificali honore subterfugere se posse credidit, et ad fastigium tantum accusatores suos fugiendo pervenit, a sanctitatis vestrae coetu interim se noverit segregatum: qui se nostro judicio debet objicere, si conscientiae suae novit confidentiam se habere.

10. Massiliensis vero ecclesiae sacerdotem, qui dicitur, quod dictu nefas est, in necem

fratris taliter gratulatus, ut huic, qui ejus sanguine cruentatus advenerat, portionem cum eodem habiturus occurreret, et vestro eum audiendum collegio delegamus. Data 7. Kalendas Augusti, Flaviis Felice et Tauro viris clarissimis consulib.

EPISTOLA II.

CYRILLI ALEX. EPISCOPI

ad

COELESTINUM PAPAM.

Quam pestilens Nestorii sit doctrina, quidve hactenus egerit, quo eum ad rectam fidem revocaret, Cyrillus exponit. Ab illius communione se nondum aperte discessisse, donec a Coelestino quid sibi facto opus sit didicerit. Ut Coelestinus missis quam primum ad Orientis ac Macedoniae episcopos literis, suam ea de re sententiam notam faciat. Subjectis ad calcem capitulis quibusdam tota Nestorii doctrina explicatur.

Sanctissimo Deique amantissimo patri Coelestino Cyrillus in Domino salutem [1]).

---

1. Si silere, et non pietatem tuam de omnibus, quae moventur, literis certiorem facere

---

[1]) In editione Coustantii S. scripta a. 430. Hanc epistolam, licet ea sit Cyrilli alexandrini, exhibemus, tum quia lucem affundet reliquis Coelestini epistolis, tum quia luculentum est testimonium ag-

citra culpam ac sinistrae suspicionis metum liceret, praesertim in rebus adeo necessariis, ubi etiam recta fides a nonnullis depravata periclitatur; in memetipso dicerem: Bonum et periculi expers est silentium, praestatque quietam vitam agere, quam turbatam. Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et longa ecclesiarum consuetudo [1]) suadet, ut hujusmodi res cum sanctitate tua communicentur, scribo plane necessitate adactus, ac significo, satanam in praesentia omnia miscere, et contra ecclesias Dei furere, necnon omnium ubique populorum, qui in recta fide ambulant subversionem moliri. Non enim ab impietatis studio un-

---

niti romani pontificis primatus a Cyrillo alexandrino, secundae sedis episcopo et viro undequaque doctissimo, quem Deus sicut sec. 4. Athanasium adversus Arium ita sec. 5. speciali providentia contra Nestorium excitavit. Non sunt hic praetereunda verba Arnobii l. 2. de conflictu cum Serapione: „S. Cyrillus alex. episcopus, cum cognovisset nestorianum dogma contrarium fidei pullulare, scripsit per totam aegyptum, et ad Coelestinum apostolicae recordationis antistitem misit dicens, ad laudem suam pertinere, si ab eo, qui pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum."

[1]) Graeee: *τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησίων ἔθη*. Verba valde notanda. Cf. praef. n. 4. ss. t. 17.

quam desistit pessima illa et effrenis bestia. Sane hactenus altum tacui, ac nihil omnino de eo, qui constantinopolitanam ecclesiam nunc administrat, vel ad pietatem tuam vel ad ullum consacerdotum nostrorum scripsi, persuasum habens praecipitem in hujusmodi rebus celeritatem a vitio non esse immunem. At quia ad extremum propemodum malorum devenimus, omnia quae acciderunt, rupto silentio, necessario enarranda esse duxi.

2. Nempe memoratus simul ut ordinatus est, cum exhortationibus populos, tum proprios, tum peregrinos, quorum magna multitudo ex omni, ut ita dicam, civitate ac regione illuc confluere solet, ad bonum excitare debuisset; praedicare affectavit absurda quaedam et a ratione aliena, quae longe absunt ab apostolica et evangelica fide, quam patres magna semper constantia servaverunt, et nobis velut pretiosam margaritam tradiderunt. Illius autem homilias, quas in ecclesia et frequenter habuit, et habere non cessat tamquam evidens doctrinae illius argumentum, ad pietatem tuam misi. Mihi quidem, fateor, in animo fuisset, synodicis illum literis commonefacere, nos cum eo, qui talia dicat ac sentiat communicare non posse: sed hoc non feci. Ratus tamen lapsis ma-

num porrigendam, prostratosque ut fratres erigendos esse; illum per literas exhortatus sum, ut a prava hujusmodi doctrina abscederet. Sed nihil promovimus. Imo ubi didicit tantum abesse, ut eadem sentiamus, ut eum etiam objurgemus, et a suis commentis (non enim dogmata dixerim) discedat admoneamus: nullam struendarum insidiarum viam non tentavit, et huc usque tentare non cessat. Dum autem exspectabamus donec resipisceret, et ab iis quae contra Christum docuerat abstineret, hac nos spe falsos esse comperimus, cum tale quid contigisset.

3. Erat Constantinopoli episcopus [1]) nomine Dorotheus, eadem quae ille sentiens, vir quaestus causa adulationi deditus, linguaque ad temeritatem usque, sicut scriptum est, promptus. Is in publico conventu, reverendissimo Nestorio in cathedra constantinopolitanae ecclesiae sedente, surgens magna voce inclamare ausus est: Si quis Mariam deiparam dixerit, anathema sit. Tum ingens universi populi clamor et discessio con-

---

[1]) Scil. Marcianopolis in Moesia, qui et in ephesino latrocinio Cyrilli ac Memnonis depositioni subscripsit.

secuta est. Nolebant enim cum iis amplius communionem habere, qui talia sentirent: adeo ut etiamnum plebs constantinopolitana, paucis levioribus et qui illi adulantur exceptis, synaxi abstineat. Sed neque eo conveniunt monasteria pene omnia eorumque archimandritae et senatorum multi, verentes ne aliquod in fide detrimentum accipiant, cum et ille, et ii omnes [1]) quos secum Antiochia discedens adduxit, perversa praedicent.

4. Cum autem homiliis ejus in Aegyptum perlatis, leviores quosdam in errorem abductos, cunctantesque rectene loqueretur, an erraret, invicem quaeritare didicissem: veritus ne morbi contagium altiores radices in simpliciorum mentibus ageret, ad Aegypti monasteria generalem epistolam scripsi, ut eorum monachos in recta fide confirmarem. Cujus quidem epistolae exempla Constantinopolim a nonnullis deportata, ibique lecta,

---

[1]) Inter perversos illos praecones, quos Nestorius Antiochia secum adduxerat, a Liberato c. 4. post Socratem lib. 7. c. 32. notatur Anastasius presbyter, qui in ecclesia docens, teste Socrate, erupit in haec verba: „Nemo Mariam vocet deiparam. Maria enim homo fuit: ex homine autem Deus nasci non potest.“

tanto adjumento fuerunt, ut plurimi e magistratu mihi ejus causa gratias per literas egerint. Verum hoc ipsi irae contra me susceptae fomentum subministravit. Me itaque ut hostem impugnat, aliud plane nihil de quo me incuset habens, nisi quod ab iis quae sentit abhorreo, eamque quam a patribus accepimus, et ex divinis Scripturis didicimus, fidem amplectendam esse serio persuadens, multos ad sanam mentem reduxerim. Verum flocci faciens quae adversum me machinatus est, Deoque qui omnia novit et valet committens omnia, alteram rursus epistolam, quae rectae fidei expositionem brevi compendio complecteretur, ad memoratum misi hortans simul et obtestans, ne aliud sentiret ac loqueretur. Sed nec rursum quidquam profeci. Iis enim quae ab initio commentus fuerat, huc usque pertinaciter adhaeret, nec finem perversa docendi facit.

5. Sciat et hoc pietas tua, in omnes Orientis episcopos convenire, quae dicuntur, scilicet offendi omnes et dolere, maxime vero reverendissimos Macedoniae episcopos. Et cum hoc compertum habeat, se omnibus sapientiorem esse, se solum Scripturae divini-

tus inspiratae scopum attigisse, et Christi mysterium cognovisse arbitratur. Atqui quomodo non oportuit eum illud potius pro certo habere, cum omnes per totum orbem constituti orthodoxi episcopi ac laici Christum Deum, ac virginem, quae illum genuit, deiparam confiteantur, se solum, qui hoc inficiatur, errare? Verum fastu tumens, ac sedis potentia, ut omnibus insidias struat, abutens, effecturum se arbitratur, ut et nos et reliqui omnes suae ipsius sententiae subscribamus.

6. Ecquid igitur faciemus? cum neque illum ut resipiscat, neque ut ejusmodi concionibus absistat, inducere queamus; populusque constantinopolitanus magis ac magis in dies corrumpatur, tametsi haec indigne ferat, et ab orthodoxis doctoribus praesidium exspectet? Nobis sane de rebus vulgaribus sermo non est: sed neque periculi expers foret nostrum silentium. Si enim Christus conviciis appetitur, quomodo nos silebimus? maxime cum Paulus scribat: *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est* (1. Cor. 9, 17). Nos igitur, quibus verbi dispensatio fideique custodia credita est, quid in

die judicii dicturi sumus, si contra isthaec obticuerimus?

7. Ab illius tamen communione palam et aperte nosmetipsos non prius divellimus, quam haec pietati tuae indicaverimus. Digneris igitur nobis declarare, quid tibi videatur, et utrum aliquando cum illo communicare oporteat, an libere denunciare, neminem cum eo, qui talia sentit ac docet, communicare. Opus est autem, ut tuae pietatis super hac re sententia tum piissimis Deique amantissimis Macedoniae episcopis, tum omnibus Orientis antistitibus per literas manifesta fiat. Illis enim cupientibus ansam dabimus ut uno animo in una sententia persistant' et rectae fidei, quae impugnatur, opem' ferant.

8. Quantum enim in illo fuit, et patres nostri, magni illi admirabilesque et probatissimi viri, qui sanctam virginem Deiparam esse dixerunt, et nos qui adhuc superstites sumus, cum illis anathemate percussi sumus. Et cum id ipse ore proprio facere nollet, alium substituit, nempe memoratum Dorotheum, quem ut hoc se praesente et audiente diceret induxit, cum quo etiam, confestim e cathedra descendens, divinis mysteriis celebratis, communicavit.

9. Ut autem sanctitas tua quid ille dicat ac sentiat, quidve beati et magni patres nostri, exploratum habeat, misi tomos, quibus capitula quaedam excerpta continentur: quos quidem, quantum licuit per eos, qui Alexandriae vitam degunt, latine reddi curavi. Epistolas [1]) quoque a me scriptas tradidi dilecto Posidonio, injungens illi ut eas sanctitati tuae offerat.

---

[1]) Tres videlicet, ni fallor, superius num. 3. et 4. memoratas, quarum una ad Monachos Aegypti, aliae duae ad ipsum Nestorium scriptae.

EPISTOLA III.

Seu Commonitorium sanctissimi episcopi Cyrilli, quod Posidonio dedit, cum eum Romam mitteret propter Nestorii negotium [1]).

---

1. Nestorii fides seu potius perversa sententia sic se habet. Ait Deum Verbum, cum eum qui ex sancta Virgine natus est, sanctum et magnum futurum praescisset, ipsum idcirco elegisse ac fecisse, ut sine viro nasceretur ex virgine, hancque ei contulisse gratiam, ut suis ipsius nominibus apellaretur, eum denique a mortuis suscitasse. Quocirca cum unigenitum Dei Verbum incarnatum dicitur, ideo dicitur incarnatum, quia

---

[1]) In edit. Constantii ep. 9.

cum homine illo sancto, qui de virgine natus est, semper fuit. Quemadmodum autem cum prophetis, sic, inquit, fuit cum isto secundum majorem conjunctionem. Quare ubique fugit dicere unitionem, sed [1]) conjunctionem vocat, qualis est ea, qua connectitur qui extrinsecus est, et de qua Deus dicit ad Josue: *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum* (1, 5). Ut autem tegat impietatem, Verbum cum ipso ex utero dicit fuisse.

---

[1]) Gr. *συναφείαν*. Imo huic vocabulo quasdam adjungebat particulas, quibus ab artissimae conjunctionis cogitatione mens avocabatur. Certe Mar. Mercator pag. 206. ex ejus quaternione 15. illud profert: „Colamus quadam divina conjunctione cum Deo omnipotente coadorandum hominem." Cui cognatum est et istud symboli Nestoriani apud eumdem Mercatorem pag. 191: „Inducentes etiam assumptum de Nazareth, quem unxit Deus spiritu et virtute quasi conjunctione ad Deum Verbum." Quapropter et Cyrillus *conjunctionis* seu *συναφείας* vocabulum, quo Nestorius utebatur, repudiabat, *μᾶλλον δὲ τὸ τῆς συναφείας ὄνομα παραιτούμεθα, ὡς οὐκ ἔχων ἱκανῶς σημῆναι τὴν ἕνωσιν*, inquit ipse ad Nestorium to. 5. par. 2. pag. 71. hoc est: „Imo conjunctionis respuimus nomen, ut minus idoneum, quo unitio significetur," seu ut Mar. Mercator edit. Baluz. pag. 362. latine convertit: „Imo potius conjunctionis evitamus nomen, tamquam non exsistens idoneum, quod significet unitatis arcanum" Coust.

2. Idcirco neque ipsum esse dicit verum Deum, sed velut ex beneficentia Dei eo nomine donatum. Et quamvis Dominus sit appellatus, eadem rursus ratione vult esse Dominum, quia hoc ei Deus Verbum dederit, ut sic appellaretur.

3. Nec ait quod dicimus, Filium Dei pro nobis mortuum esse, et resurrexisse: sed homo [inquit] mortuus est, et homo resurrexit, nihilque ejusmodi ad Verbum Dei pertinet.

4. Nos quidem Verbum Deum immortalem ac vitam esse confitemur, sed et credimus carnem factum, hoc est, cum univisset sibi carnem cum anima rationali, passum esse in carne secundum Scripturas; et quoniam corpus ejus passionem sustinuit, ipsummet dici passum esse, quamvis natura sit expers patiendi; rursumque quoniam resurrexit corpus ejus, non enim vidit corruptionem caro ejus (Ps.15,10), ipsum dici surrexisse pro mortuis. Ille autem non ita sentit, sed passionem hominis esse, et resurrectionem hominis esse, et quod in mysteriis proponitur, hominis corpus esse praedicat. Nos autem credimus Verbi carnem idcirco vivificandi virtutem obtinere, quia Verbi omnia vivificantis facta sit caro et sanguis.

5. Haec ille dicere cum non sustineret, effecit ut Coelestius libellos traderet adversus Philippum [1]) presbyterum, qui eum arguebat; et cum ipso propter haeresim nolebat amplius convenire. In his autem libellis accusatio quaedam erat, quod manichaeus esset. Deinde hominem citavit ad concilium. Venit ille secundum canones sese gerens, quo causam diceret. Coelestius autem, cum probare nihil valeret, clanculo se subduxit; nec ad concilium accessit.

6. Hac occasione cum decidisset, aliam excogitavit. Dicebat enim: Cur privatos

[1]) Is Philippus, ut ex Socrate lib. 7. c. 26. 27. et 29. discimus, cum adhuc diaconus esset, una cum Joanne Chrysostomo versari ut plurimum est solitus. Deinde in suburbano Constantinopoleos, cui nomen Aelea, presbyterii gradum sortitus, post Attici ejusque successoris Sisinnii mortem a multis in eorum locum cooptatus, Sisinnio tamen ac postmodum Nestorie postpositus fuit. Coelestius autem Philippi accusator is putatur Pelagii discipulus, qui Attico pontifice, ut Mar. Mercator pag. 113. tradit, Constantinopoli pulsus fuerat. Ad hunc Coelestium exstat apud Mar. Mercat. pag. 181. Nestorii epistola, qua eum velut indigna patientem et injuste damnatum solatur, ac bono animo esse jubet. Id vero pelagianis sollemne erat, catholicos quasi liberi arbitrii eversores manichaeos appellare. Coust.

conventus [1]) egisti, et in domo oblationem celebrasti? Atque omni prope clero dicente: Id facit unusquisque nostrum cum tempus et necessitas flagitat, depositionis sententiam adversus hominem tulit. En habes tomos [2]), quibus capita blasphemiarum Nestorii continentur.

---

[1]) Hos conventus haud dubie Philippus agere tum coepit, cum constantinopolitani audita impia Dorotheei concione, convenire cum Nestorio desierunt, ut in epistola superiori n. 4. narratur.

[2]) Hoc est, sententias summatim ex Nestorii libris excerptas.

EPISTOLA IV.

COELESTINI I. PAPAE

ad

CYRILLUM ALEXANDRINUM EPISCOPUM.

Cyrilli in propugnanda fide studium laudat Coelestinus, et haeresim Nestorii damnat, ac nisi corrigatur, Cyrillo demandata vice sua praecipit, ut eum amoveat ab Ecclesiae communione, et ecclesiae ipsius alium pastorem provideat.

Carissimo Cyrillo Coelestinus[1]).

---

1. Tristitiae nostrae sanctitatis tuae literae missae per filium nostrum Posidonium diaconum laetitiam reddiderunt: et gaudium alternavimus cum moerore. Cum enim re-

---

[1]) In edit. Coust. 11. Scripta 11. Aug. 430.

spicimus et recensemus quae dixeratis, qui constantinopolitanam perversis praedicationibus turbare conatur ecclesiam, non parvo animus noster dolore concussus diversis cogitationum stimulis vexabatur, qualiter populis possit, ut in fide persisterent, subveniri. Dum vero mentem nostram ad tuae fraternitatis scripta [1]) convertimus, paratum jam remedium, quo pestifer morbus salubri remedio vitaretur, invenimus, scilicet puri fontis liquorem de tuae caritatis sermone manantem, qui coenum omne male fluentis rivi detergeret, et omnibus quid de fide nostra sentire debeant aperiret. Ut illum ergo reprehendimus et notamus; ita sanctitatem tuam velut praesentem in literis suis dominica sumus caritate complexi, cum unum idemque nos sentire de Domino videremus.

---

[1]) Hoc est, quae Cyrillus proxime cum superiori epistola 2. al. 8. miserat, scilicet duas ad Nestorium epistolas, unam ad Monachos, cum tomis, quibus quae Nestorii, et quae Patrum esset sententia, patefaciebat. Nec ad plura Cyrilli scripta pertinet insignis illa Coelestini approbatio, qua quae sibi a Posidonio tradita sunt, cum fide sua prorsus consentire testatur. Neque igitur haec ad Cyrilli anathematismos attinet. Coust.

Nec mirum est providentissimum Domini sacerdotem, pro fidei amore hac virtute pugnare, ut adversorum improbae resistat audaciae, et sibi creditos hac admonitione confirmet. Quam ergo nobis illa fuerunt amara, tam ista sunt dulcia; quam illa coenulenta, tam ista sunt pura. Gratulamur tantam inesse sanctitati tuae vigilantiam, ut decessorum tuorum, qui et ipsi semper defensores orthodoxi dogmatis exstiterunt, exempla jam viceris. Vere tibi evangelicum potest testimonium convenire, quo dicitur: *Pastor bonus ponit animam suam pro ovibus suis* (Joan. 10, 11). Sed ut tu bonus pastor, ita ille nec tamquam malus potest mercenarius accusari: qui non ideo quod oves relinquat arguitur, sed quod eas ipse [1]) laniare inveniatur.

2. Adderemus aliquid, frater carissime, si non te eadem sentire, quae sentimus, omnia videremus, et in ipsa assertione fidei defensorem fortissimum probassemus. Ingesta vero nobis sunt cuncta per ordinem a filio nostro Posidonio diacono, quaecunque

[1]) Graecus textus exigit: Ita ille dignus est qui accusetur, non ut malus mercenarius, quippe qui non ideo quod oves reliquerit, arguatur, sed quod eas ipse laniare inventus sit.

de hac re tua sanctitas scripsit. Omnes tendiculas praedicationis callidae detexisti et fidem taliter, ne Christo Deo nostro credentium cor in alteram partem trahi valeat, communiisti. Magnus fidei nostrae triumphus est, et asseruisse nostra tam fortiter, et adversa ss. Scripturarum testimoniis sic devicisse. Quid agat jam? quo se ille circumferat, qui amator impiae novitatis dum voluit suo potius ingenio servire, quam Christo, sibi creditam plebem veneno voluit suae praedicationis inficere: cum et legere debuerit et tenere (Tit. 3, 9), pravas quaestiones, et quae non proficiant ad salutem, sed ad perditionem animarum nitantur, vitandas potius quam sequendas?

3. Sed ad praecipitia festinantem, imo jam in praecipiti, unde corruat, constitutum, si possimus, revocare debemus: ne ruinam ejus, si non succurrimus, urgeamus. Christus Deus noster, cui suae quaestio nativitatis infertur, pro una ove laborare nos docuit, volens eam suis quoque humeris revocari, ne rapaci lupo pateret in praedam. Et qui pro unius ovis currere salute nos docuit, qualiter nos vult pro ipsarum ovium laborare pastore, qui officii et nominis ejus oblitus in rapacitatem lupi se ipse convertit, gregem cu-

piens perdere, quem debuerat custodire? Quem nos a septis agnorum removere debemus, si non ita ut volumus corrigamus. Sit spes veniae corrigenti: malumus enim ut revertatur et vivat, si vitam sibi commissorum ipse non perdat. Sit [1]) aperta sententia perduranti: abscidendum est enim tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus Ecclesiae sauciatur. Quid enim [2]) cum consentientibus faciat, qui solus sibi sapiens a nostra credulitate dissentit? Sint in communione, quos ipse resistentes sibi a communione [3]) submovit: no-

---

[1]) In vulgatis *sit certa sententia*. Graecus textus postulat *sit aperta sententia*, hoc est palam et aperte dicta sententia damnetur, si in errore persistat. Hic respondet Coelestinus ac plane satisfacit Cyrilli petitioni. Is enim epist. 2. al. 8. n. 7. nondum quidem se a Nestorii communione aperte discessisse significarat, sed quid deinceps sibi agendum foret, Coelestinum ut docere dignaretur enixe rogabat.

[2]) Hoc est, cum iis qui in una fide concordant. Alludit Coelestinus ad verba Cyrilli epist. 2. al. 8. n. 5. unde Nestorium a communi omnium orthodoxorum sententia discedere, seque unum omnibus sapientiorem arbitrari didicerat.

[3]) His et Cyrillus obsequens, proxime postquam has accepit Coelestini literas, ad clerum populumque CP. pariter scripsit: „Cum iis clericis et postulari-

stramque communionem habere se non posse noverit, si in hoc perversitatis suae tramite apostolicae doctrinae contrarius perdurarit.

4. Auctoritate igitur tecum nostrae sedis adscita nostra vice usus, hanc exsequeris districto vigore sententiam [1]), ut aut intra decem dies ab hujus conventionis die numerandos pravas praedicationes suas scripta professione condemnet, et hanc se de nativitate Christi Dei nostri fidem tenere confirmet, quam et romana et tuae sanctitatis ecclesia et universalis devotio tenet: aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua illi ecclesiae provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum, qui nec in se medentium cu-

bus quoque, qui propter rectam fidem ab illo excommunicati vel gradu moti sunt, nos libere communicamus, injustam illius sententiam minime approbantes, sed eos potius, qui ista perpessi sunt, commendantes. Inter eos autem, quos Nestorius submoverat, praecipuus censendus est Philippus presbyter, de quo in superiore epistola 3. al. 9. n. 5. est dictum.

[1]) Graece: *Συναφθείσης σοι τοίνυν τῆς αὐθεντίας τοῦ ἡμετέρου θρόνου τῇ ἡμετέρᾳ διαδοχῇ χρησάμενος ταύτην ἐκβιβάσεις ἀκριβεῖ στερρότητι τὴν ἀπόφασιν* etc. Complectitur hic n. insigne argumentum primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam.

ram voluit admittere, et in perditionem tam suam quam omnium sibi creditorum male pestifer festinavit.

5. Eadem autem scripsimus et ad sanctos fratres et coepiscopos nostros, Joannem, Rufum, Juvenalem et Flavianum: ut nota sit de eo nostra, imo Christi nostri divina sententia. Data 3. Idus Augusti Theodosio 13. et Valentiniano 3. consulibus.

EPISTOLA V.

COELESTINI PAPAE I.

ad

NESTORIUM.

Ipsum impiae novitatis reum convinci, atque anathemate dignum esse. Denunciat ei, nisi quos e regia urbe injuste ejecerat revocarit, et quod impie senserat aperte damnarit, post decimum diem ab Ecclesiae communione segregandum esse.

Dilectissimo fratri Nestorio Coelestinus[1]).

---

1. Aliquantis diebus vitae nostrae, post nefandum et saepe damnatum dogma Pela-

---

[1]) In edit. Coustantii 13. Scripta 11. Aug. 430. Exstat latine et graece, nec satis constat, utrum textus latinus, quem exhibemus, sit textus originalis an versio versionis graecae, quae forte una prodiit cum textu originali latino. Ceterum antiquus

gii atque Coelestii, catholicam fidem quies habuit, quando eos cum suae disputationis sequacibus [1]) telo unitae sententiae Oriens Occidensque percussit. Denique sanctae recordationis Atticus, catholicae magister fidei, et vere beato Joanni etiam ad ista successor, eos ita persecutus est pro [2]) rege communi, ut iis ne standi quidem illic copia

---

est noster textus, cum seculo jam sexto hujus fragmenta apud Liberatum legantur.

[1]) Quod nunc memoratur, maxime accidit, cum episcopi Zosimi epistola, ut Marii Mercatoris pag. 138. verbis utar, „quae tractoria dicitur, qua Coelestius Pelagiusque damnati sunt, et Constantinopolim et per totum orbem missa, subscriptionibus sanctorum patrum est roborata.“

[2]) Regem communem intelligere est universorum regem Christum, cujus gratiam pelagiani, ut Apostoli verbo utar, evacuare nitebantur. Qui autem Atticus eis restiterit, M. Mercator in Commonit. sic narrat: „Sub sanctae memoriae Attico episcopo urbem constantinopolitanam petiit (Coelestius), ubi in similibus detectus, magno studio sancti illius viri ex praedicta alma urbe detrusus est, literis super ejus nomine et in Asiam et Thessalonicam et Carthaginem ad episcopos missis.“ Quam ob causam et a Prospero in carmine de ingratis sic laudari meruit:

Quid loquar et curam magna quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos haereticorum
Confutando fide, etc.

praestaretur. Mansit nos post ejus exitum sollicitudo vel maxima, cum successor ipsius utrum etiam in ejus fide succederet quaereremus: quia difficile est continuari quae bona sunt; nam sibi saepe alternis vicibus adversa succedunt. Habuimus tamen post hunc, a quo eramus continuo [1]) deserendi, sanctum Sisinnium, celebratum simplicitate et sanctitate collegam, eam fidem, quam invenerat, praedicantem. Legerat profecto simplex sanctitas et sancta simplicitas, timendum magis, quam alte sibi esse sapiendum (Rom. 11, 20); et alibi, altiora sectanda non esse (Eccli. 3, 22); et iterum: *Si quis aliud praedicaverit, quam quod praedicavimus, anathema sit* (Galat. 1, 8). Hoc tamen exeunte de seculo, cum se sollicitudo nostra in tantum, in quantum ei Dominus permisit, extenderet, laetificavit animum nostrum venientium narratio nunciorum, quam mox firmavit eorum, qui interfuerunt ordinationi tuae, relatio collegarum; qui tibi

---

[1]) Cum scilicet biennium nondum explevisset, ut lib. 7. c. 28. tradit Socrates, qui et cap. 26. testatur, eum ubique celeberrimum fuisse *tum pietatis nomine, tum quod pauperibus fovendis etiam ultra vires incumberet.*

testimonii tantum detulerunt, quantum ferri huic debuit, qui aliunde [1]) videbatur electus. Tanta ante opinione vixisti, ut tuis te aliena civitas invideret: tanto nunc horrore vitaris, ut tui in aliis videant, qualiter fuerint liberati.

2. Dudum sumpsimus epistolas tuas: quibus in angusto [2]) nihil potuimus dare responsi; erat enim in latinum sermo vertendus. Quod cum licet sero [3]) facimus, sancti fratris et coepiscopi mei Cyrilli probatissimi sacerdotis per filium meum Posidonium diaconum talia de te scripta suscepimus [4]), quibus his, qui de tua ordinatione retulerant, periisse suum testimonium doleremus. Bonis enim principiis tuis malus, quantum videmus, successit eventus: bonis, inquam, principiis, quae apud nos ita celebrata fuerant,

---

[1]) Hoc est, ex aliena ecclesia, nempe antiochena.

[2]) Hoc est, citius ac modica interposita mora.

[3]) Graecus textus postulat: „Quod cum sero propter necessitatem (interprete scil. prius deficiente) faceremus."

[4]) Accuratius quid sonat graecus textus, videlicet: „ex quibus eorum, qui de ordinatione tua retulerant testimonium periisse (atque evanuisse) valde doluimus." Non enim eis qui dederunt, sed Nestorio, cui datum fuerat, periit hoc testimonium.

ut responsum dantes ad relationem fratrum, nos faceremus participes gaudiorum. Sed considerantes nunc et querelam de te praedicti fratris, et interpretatas tandem epistolas tuas apertam blasphemiam continentes, illud nobis apostolicum videmus esse dicendum: *Vellem mutare vocem meam, quia confundor in vobis* (Galat. 4, 20). Quin imo mutavi, nisi de praecipiti se revocet impius disputator: necesse est enim ut malum ex nobis ipsis, sicut praecipitur, auferamus (1. Cor. 5, 13). Legimus ergo epistolarum tenorem, et eos libros, quos illustri viro filio meo Antiocho reddente suscepimus. In his quidem nobis vestigatus, deprehensus et tentus, quodam multiloquio labebaris, dum vera involvis obscuris [1]), rursus utraque confundens, vel confiteris negata, vel niteris negare confessa. Sed in epistolis tuis apertam non

---

[1]) Ad literam graecam: „et rursus utraque confundis, vel confitendo negata, vel nitendo negare confessa.“ Nestorius in literis suis primo Mariam Dei genitricem esse negat, tum quod negarat videtur confiteri: et utrumque postmodum confundit, dum ex eo quod res creata gignere non potuit increatam deitatem, Mariam negat, Verbum Deum carnem factum gignendo genuisse Deum.

tam de fide nostra, quam de te tulisti sententiam, volens de Dei Verbo aliter, quam fides habet omnium disputare.

3. Ecce nunc in quam de te vocamur sententiam: ecce quae tuarum sunt beneficia novitatum. Postquam ignoratus electus es, et cognitus accusaris; jam nunc cum illo gentium doctore dicendum est: *Nam quid oremus secundum quod oportet nescimus* (Rom. 8, 26). Nonne haec ecclesiae illi verba conveniunt, quae probatos sibi viros, non notitiam tuam sed famam secuta, contempsit? Impositum est opinioni bene de te credentium. Quis enim [1]) intra ovile velut rapacem lupum putaret abscondi? Vox est ejusdem Apostoli: *Oportet etiam haereses esse, ut probati manifesti fiant* (1. Cor. 11, 19). Aperi aures tuas, et ejusdem ad Timotheum vel Titum dictos audito sermones. Quid his aliud praecipit, quam ut novitates vitent vocum profanas (1. Tim. 6, 20): ad impietatem quippe ista proficiunt, quae semper spinas et tribulos intulerunt. Timotheum certe etiam rogasse se dicit, ut Ephesi remanens denunciaret quibusdam, ne quis aliter praedicaret (1. Tim. 1, 3). Ante oculos

[1]) Graece: intra ovinam pellem, rapacem.

mihi Jeremiae prophetae verba sunt: *Horribilia*, inquit, *facta sunt super terram: prophetae iniquitatem prophetant* (Jer. 5, 30). Haec, dicas volo, quasi ignota te transeunt, aut quasi nota contemnis? Si quasi ignota te transeunt, non sit pudori discere rectum, quando timori non fuit docere perversum. Si quasi nota contemnis, intellige te inexcusabilem fore, cum a te commissi tibi talenti requisierit ille rationem (Matth. 25, 26), qui per nos de hoc sancto foenore suum lucrum semper exspectat. Adspice quae poena illum maneat, qui abscondit acceptum, qui integrum certe restituit quod accepit: unde evidenter adverte quod sit et vel quale periculum, nec quod acceperis reddidisse. An tu Domino nostro dicturus es: *Quos dedisti mihi, custodivi* (Joan. 17, 12), cum sic scindi in partes audiamus ejus Ecclesiam? Qua conscientia vivis, pene ab omnibus in hac civitate desertus? Optaveram eos tunc fuisse tam cautos, quam nunc sunt, cum sibi desiderant subveniri. Unde tibi in has quaestiones verba dirigere, quas sit blasphemum cogitasse? Unde in populos haec episcopo praedicare, quibus virginei partus reverentia saucietur? Non debent veteris fidei puritatem blasphema in Deum verba turbare.

4. Quis unquam non dignus est anathemate judicatus, vel adjiciens vel detrahens fidei? Plene etenim ac manifeste tradita ab apostolis nobis nec augmentum, nec imminutionem requirunt. Legimus in libris nostris, non addi debere, non detrahi (Apoc. 22, 18): magna quippe et addentem et detrahentem poena constringit. Unde cauterium praeparamus et ferrum; quia ultra non erunt fovenda vulnera, quae merentur abscidi. Scimus certe majora vitia majore semper dolore sanari. Inter multa, quae a te impie praedicata universalis recusat Ecclesia, symbolo ab apostolis tradito plangimus haec verba fuisse sublata, quae nobis totius spem vitae salutisque promittunt [1]). Quod quare fiat loquuntur epistolae tuae, de quibus nulla dubitatio est, quia eas ipse misisti; quas in manus nostras nolueramus

---

[1]) Haec non ita sunt intelligenda, ac si Nestorius revera quaedam de symbolo deleverit verba, sed quatenus eorum nativam notionem sustulit, quod bene explicat Coelestini successor Xystus ep. 6. n. 4: „Hominem namque natum Christum tantum modo praedicabat (Nestorius) auferens incarnationis mysterium et illud evacuans, imo illud impugnans, ex quo secundum symbolum et fides et salus nostra subsistit."

venire, ne de tanti cogeremur sceleris genere judicare. Omnium disputationum tuarum vias brevis earum sermo conclusit: extendisti te latius, multis anfractibus circumisti, sero tamen diverso itinere pervenisti ad impium constitutum. Scimus quid ille caverit, qui praecepit contentiones et pugnas legis esse vitandas: *sunt* enim, inquit, *inutiles et vanae* (Tit. 3, 9). Quod igitur vanum et inutile judicatur, nemo dubitat minime profuturum.

5. Itaque quamvis et jam frater Cyrillus secundis te epistolis suis asserat esse conventum; intelligas volo, post primam et secundam illius, et hanc correptionem nostram, quam constat esse jam[1]) tertiam, ab uni-

---

[1]) Ipse Cyrillus his obsecutus huic Coelestini epistolae adjuncta propria, quae habetur ephes. concil. par. 1. c. 26. Nestorium convenit atque alloquitur his verbis: „Ecce igitur una cum sancta synodo, quae in magna romanorum civitate sanctissimo et reverendissimo episcopo fratre et comministro nostro Coelestino praesidente convenit, jam tertio his te literis contestamur et obtestamur, etc.“ Nititur autem hic mos praecepto Domini Matth. 18. 15, quo quemadmodum corripiendus sit frater, praescribitur, ut ipse Coelestinus epist. 24. n. 9. exponit. Notus est ea de re apostolorum canon 73. quo episcopum accusatum, si se judicio non sistat, prius

versitate collegii [1]) et conventu christianorum te prorsus esse sejunctum, nisi mox quae male dicta sunt corrigantur, nisi in eam viam redeas, quam se Christus esse testatur (Joan. 14, 6). Male in hunc arma desperatione movisti, qui te super familiam suam, velut fidelem prudentemque servum, permiserat ante constitui (Matth. 24, 45). Periit tibi hujus [2]) officii beatitudo promissa. Non

---

tertio vocandum esse praecipitur, quam sententia adversus eum pronuncietur. Huic autem juris praescripto sic morem gessit Coelestinus, ut duas Cyrilli epistolas ad Nestorium, etiam ante scriptas quam is ad romanum praesulem deferretur, duplicis monitionis vice computari voluerit. Nimirum aegritudinis qualitas, ut infra num. 9. loquitur, nullas inducias permittebat. Imo ad praescriptum Domini Matth. 18, 15. Coelestinus hac in re se gessit.

[1]) Magis placeret quod habet graecus sermo: *a nostri societate collegii*, vel simpliciter ut infra n. 10. *a nostro collegio.* Eadem ratione de haeretico eodem scriptum legimus epist. 11. n. 4.: „A nostro eum corpore sciat esse removendum;“ et epist. 12. n. 4. „Aut episcoporum coetu remotus“ etc.

[2]) Graeca litera sic simpliciter reddenda: „Periit tibi pro tali ministerio promissa beatitudo.“ Mox pro *quaesivit*, graeca interpretatio suadet legendum esse *acquisivit*, maxime cum ad verba Pauli Act. 20, 28. hic respici manifestum sit. Hinc et infra n. 7. *quaesitus* pro *acquisitus* positum suspicamur, suspicionemque nostram confirmat quod mox sequitur,

solum non das cibum in tempore, verum etiam veneno interficis, quos ille suo sanguine et sua morte quaesivit (Act. 20, 29). Venenum[1]) namque est sub tuis labiis, quae maledictionis et amaritudinis plena videmus, cum contra eum, qui suavis est, niteris disputare. Ubi est diligentia pastoralis? Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis; mercenarius vero eas lupis dimittit et tradit (Joan. 10, 11). Quid hic tu pastor acturus es, qui dominicum gregem pro lupis ipse discerpis? Ad quaenam grex dominicus septa confugiet, si intra ovilia Ecclesiae saucietur? qua futurus est tutione defensus, qui te patitur pro custode raptorem? *Et alias*, inquit Dominus, *oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere* (Ibid. 16). Ille alias se promittit adducere, tibi pereunt quas habebas. Tametsi quidem certum sit, quoties ista contingunt, non oves pastoribus, sed magis ovibus perire pastores. *Et vocem*

---

praemium confessionis acquirere. Certe in tribus illis locis uno verbo *κερδαίνειν* interpres graecus usus est.

[1]) Ad literam graecam: „namque sub labiis tuis sunt ea, quae."

meam, inquit, *audient*. Quare? *Ut fiat unus grex* (Joan. 10, 16). Ad illius vocem unus fit grex: ad tuam vero aut inficitur, aut fugatur.

6. Durum est, ut in te de Actibus Apostolorum beati Pauli verba conveniant: *Ego*, inquit, *scio quia intrabunt post discessum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent homines loquentes perversa, ut abducant discipulos post se* (Act. 20, 29). Haec a te aliis, quam tibi dicta vellemus. Docenda enim tibi fuerant, non discenda quae dicimus. Nam quis ferat, doceri episcopum qualiter debeat esse christianus? Diligenter adspice, in quam conditionem voceris. Incesseris, argueris, accusaris: quid horum convenit sacerdoti? Duris dura responsio: si [qua] tamen vicissitudo est, verbis blasphemiam vindicare. An tibi a nobis existimas esse parcendum, cum animae tuae ita ipse non parcas, ut omnibus velis et praeteritis et praesentibus et futuris beneficium salutis auferre? Persequar plane boni Domini mei fidelis servus inimicos, cum propheta asserat, eos odio se odisse perfecto (Psal. 138, 22). Moneor rursus, altero loquente ne parcam (1. Reg. 15, 3). Quem hic ego respiciam? cui

honoris aliquid servem, quando agitur, ut mihi totius spei meae causa tollatur? Ipsius in Evangelio verba sunt Domini, quibus ait, non sibi patrem, non sibi matrem, non filios, non aliquam necessitudinem debere praeponi (Matth. 10, 37). Est enim talis frequenter pietas, ex qua nascatur impietas: cum vincente carnis affectu caritati illi, quae Deus est, caritas praeponitur corporalis, cujus intuitu aliquibus saepe deferimus. At cum in hunc tenditur, qui est ipsa dilectio, necesse est nec illa serventur, quorum auctor vocatur in causam.

7. Expergiscere tandem: quia non sunt istae dicendae vigiliae, quas non exhibes custodiae, sed rapinae. Dormire te vellemus in hoc quod praedicas, et vigilare in hoc quod impugnas. Levius certe ferremus, si in utroque dormires. Nemo tibi perditus esset [1]),

---

[1]) Seu ad literam graecam: „neminem perderes, neminem acquireres (aut lucrifaceres); Ecclesia de nullo moereret animarum damno, de nullo lucro gauderet: satis ei esset, si ipsam sponso suo," etc. Haec idcirco scribit Coelestinus, quia ut infra epist. 25. n. 8. fatebitur, Nestorium in officio pastorali „non desidem, non negligentem, sed hominem sermonis assi-

nemo quaesitus (f. acquisitus); nullo animarum dispendio moereret Ecclesia, nullo compendio laetaretur: satius ei esset, si hanc sponso suo, ita ut susceperas, resignares. Sed quid multis immoror? Loquente architecto Paulo (1. Cor. 3, 11), frustra per te superaedificatum aliquid quaero, in quo non invenio fundamentum. Audio [1]) vim maximam catholice sentientes, quibus nos communicamus, clericos sustinere: ita ut his etiam civitas interdicta dicatur. Laetamur eos praemium confessionis acquirere: sed dolemus quod episcopo persequente. Beatus apostolus Paulus [2]) persecutorem praedicatore mutavit: nefas est maximum, praedicatorem persecutore mutatum. Digere in numerum [3]) retro haereticos, qui hujusmodi quaestiones Ecclesiae intulerunt. Quis un-

---

dui" esse non ignorabat. Quocirca eum *vigilem perditorem* ibid. vocat.

[1]) Nitidior fieret oratio hoc verborum ordine: „Audio clericos, qui catholice sentiunt, et quibuscum communicamus, vim maximam sustinere", ac pati.

[2]) Graeca litera: „ex persecutore in praedicatorem mutatus est: nunc vero maximum est nefas, ex praedicatore (seu eum qui praedicator erat) in persecutorem fuisse mutatum."

[3]) Id est, enumera, recense.

quam de hoc certamine victor revertit? Habes certe tuae civitatis exemplum. Paulus civis samosatenus occupata antiochena ecclesia, cum aliqua praedicaret, collegit suorum seminum messem. Reliquos inventores malorum ecclesiis occupatis sententiae censura semper non dispar ejecit.

8. Hos quoque haereticos [1]), de quibus nos, velut eorum quae gesta sunt nescius, consulere voluisti, sedibus suis injusta dicentes expulit justa damnatio, quos illic invenisse requiem non putamus esse mirandum; invenerunt enim impiam praedicationem, cujus comparatione se existiment innocentes. Hoc loco, quia opportunitas sermonis exposcit, tacere non possumus quod stupemus. Legimus quam bene teneas originale peccatum, qualiter ipsam naturam asseris debitricem, et eum debitum merito reddere, qui descenderit de genere debitoris: quid tecum faciunt, qui sunt haec negando damnati? Nunquam sine suspicione ea, quae sibi sunt adversa, conveniunt.

---

[1]) Id est *pelagianos.* Duas nimirum epistolas scripserat Nestorius ad Coelestinum, in quibus instrui desiderat de quibusdam episcopis in Occidente propter pelagianam haeresim sede pulsis

Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea, quae in hos tunc sunt acta, quaeruntur; cum certum sit illinc ad nos a catholico tunc antistise Attico gesta directa? cur non sanctae memoriae Sisinius ista quaesivit? Quia utique sub decessore suo probaverat eos jure damnatos. Defleant infelices [1]), spe se hominum fuisse deceptos, quibus [2]) jam potuit propter communionem

---

[1]) Ad spem alludit, quam illis Nestorius fecerat. Nam licet haereticus ille, ut Mar. Mercator praefat. in tractatus Nestorii edit. Baluz. pag. 119. exponit, a pelagianorum placitis dissentiret, tamen „Julianum olim apostolica sententia exauctoratum atque depositum in amicitiam interim cum sociis censuit suscipiendum. Spem enim absolutionis promittens, ipsum quoque Coelestium literis suis consolatus est.“ Quo autem animo eos „spe vanae promissionis fovendos et lactandos putarit,“ idem auctor ibid. sibi incertum fatetur.

[2]) Graeca litera: „quibus ad communionem solam per poenitentiam potuit subveniri“, non male, si hoc ita intelligatur, ut, cum communione simul et dignitate exciderint, sola eis poenitentibus communio restitui potuerit, non dignitas. Quamquam nec alius est intellectus latinae lectionis: cui favet illud Prosperi contra Collat. c. 21. n. 58: „Coelestinus sciens damnatis non examen judicii, sed solum poenitentiae remedium esse praestandum“ etc. Nam lege Ecclesiae constitutum erat, ut ex poenitentibus nullus ad clerum admitteretur. Idem, Augustino teste

sola poenitentia subvenire. Ecce scire de his incipis, si qua ante nescisti.

9. Causam [1]) tuam magis modo, quam aliorum catholica et festina deliberatione curato; quia convenienter dicimus: *Medice, cura te ipsum* (Lucae 4, 23), qui aliis desideras subvenire. Aegritudinis tuae qualitas non recipit, aut praestari permittit inducias. Alexandrinae ecclesiae sacerdotis fidem et probavimus et probamus; et tu admonitus per eum rursus senti nobiscum, si vis esse nobiscum. Cui fratri si a te praebetur assensus, damnatis omnibus quae huc usque sensisti, statim haec volumus praedices, quae ipsum videas praedicare. Nos [2]) contra fas etiam sacerdotes volumus esse correctos: quibus sicut praemissa conventione consulimus, ita in hos necesse est damnationis sententiam, si abutuntur nostra salubri admonitione, firmemus. Hoc tamen erit, post damnationem pravi dogmatis, ple-

---

lib. de pecc. orig. c. 22. et epist. 190. n. 22, jam praecesserat Innocentii ac Zosimi de Pelagio et Coelestio judicium.

[1]) In graeco, *vulnus tuum*: quod cum subnexis aptius cohaeret.

[2]) Concinnius Coelestini mens exprimitur graeco textu, quem latine reddere sic liceret: „Nos enim

num correctionis indicium, si revocentur omnes ad Ecclesiam, qui propter Christum caput ejus videntur exclusi, revocentur [1]) omnes. Quod nisi fiat quod dicimus, ejiciendus qui ejecit, quamvis in nostra communione sint isti, in quos talis cognoscitur exstitisse.

10. Ad clerum quoque ecclesiae constantinopolitanae, vel omnes qui censentur nomine christiano, qualia necessitas exigit, scripta direximus: ut si in perversae disputationis obstinatione persistis, nec haec, quae frater Cyrillus nobiscum praedicat, praedicaveris, a nostro collegio, cum quibus tibi non potest esse communio, te intelligant separatum; scituri, exemplo jam cauti, qualiter animae suae decocto et maturato judicio debeant providere.

11. Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de Deo Christo nostro ea praedices, quae et romana et alexandrina et universalis Ecclesia catholica tenet, sicut et sacrosancta constantinopolitanae urbis ecclesia ad te usque optime tenuit, et hanc

---

etiam majori, quam decet, patientia sacerdotes corrigi exspectamus.

[1]) Istud *revocentur omnes* videtur abundare.

perfidam novitatem, quae hoc, quod venerabilis Scriptura conjungit, nititur separare, intra decimum diem a primo innotescentis tibi hujus conventionis die numerandum aperta et scripta confessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiae catholicae communione dejectum. Quam formam ad te nostri judicii per memoratum filium meum Posidonium diaconum cum omnibus chartis ad sanctum consacerdotem meum memoratae alexandrinae urbis antistitem, qui ad nos super hoc ipso plenius retulit, destinavimus, ut agat vice nostra, quatenus statutum nostrum vel tibi vel universis fratribus innotescat: quia omnes debent nosse quod agitur, quoties omnium causa tractatur. *Et alia manu:* Deus te custodiat incolumem, frater carissime. Data III. Idus Augusti Theodosio 13. et Valentiniano 3. Augustis consulibus.

EPISTOLA VI.

COELESTINI PAPAE I.

ad

CLERUM ET POPULVM CONSTANTINOPOLITANUM.

Cohortatur tum populum, ut in doctrina sibi a majoribus tradita constanter perseveret, ac novas repellat Nestorii impietates, tum clerum, ut pro fide adversus eundem fortiter certet, aerumnas patienter ferat, nec timeat exsilia. Irritam declarat sententiam, qua Nestorius nonnullos vel loco suo, vel communione dejecerat. Vices suas Cyrillo commisisse se nunciat. Et ad calcem sententiae adversus Nestorium latae formam subjicit.

Coelestinus episcopus presbyteris, diaconibus, clericis, Dei servis, et catholico populo, degentibus Constantinopoli dilectissimis fratribus in Domino salutem[1]).

1. Ad eos, qui faciunt Ecclesiam, mihi locuturo det apostolicus sermo principium, ut

[1]) In edit. Coustantii 14. scripta 11. Aug. 430.

sancti discipuli prius audiant illius, qui praedicavit gentibus, verba doctoris. *Praeter illa quae sunt*, inquit, *extrinsecus, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum* (2. Cor. 11, 28). Et rursus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (Ibid. 29)? Ita et nos, licet longe positi, ubi perversitate doctrinae cognovimus nostra membra lacerari, paterna sollicitudine nos urente pro vobis, alieno flagravimus incendio: licet inter ecclesias Dei, quae in unum Christi thalamum ubique referuntur, nihil longe sit, nihil censeatur alienum. Cum ergo nostra viscera sitis, jure trepidavimus, ne fidem vestram, quae ubique praedicatur, a tramite veritatis insinuatio male docentis avertat. Nam Nestorius episcopus de virgineo partu et de divinitate Christi Dei Salvatoris nostri, velut ejus reverentiae et communis omnium salutis oblitus, nefanda praedicat, vitanda persuadet, sicut et ejus scripta ad nos ab ipso cum propria subscriptione transmissa, sicut etiam relatio sancti fratris et coepiscopi mei Cyrilli per filium meum diaconum Posidonium ad me missa patefecit. Quibus omnibus recensitis, magnam vitandamque perversitatem impiae praedicationis inveni-

mus. Humanam enim in Christo nostro [1]) discutit divinamque naturam, nunc solum hominem, nunc ei societatem Dei, quoties tamen dignatur, assignans. Sed nos, sicut Jeremias ait, talium prophetarum vanos non possumus audire sermones (Jerem. 23, 16). Audiat et Ezechielem, et quid sibi imminеat recognoscat. *Extendam*, inquit, *manum meam super prophetas, qui vident mendacia, et loquuntur vana; in populi mei disciplina non erunt, neque in scriptura domus Israel scribentur, et in terram Israel non intrabunt: quia populum meum seduxerunt* (Ezech. 13, 9). Ubi est debita erga sanctum gregem cura pastoris? Ubi est dominicorum sollicitudo septorum?

---

[1]) Cum verbum graecum *ἀναχρίνει* proprie *quaestionem habere* sonet: non male iste locus latine sic redderetur: „De humana enim in Christo divinaque natura quaestionem habet, nunc solum hominem (supple asserens,) nunc ei societatem Dei, quoties dignatur, conjungens.“ Cui interpretationi favet illud num. 2: „Impiam disputationem debet fides vestra respuere:“ necnon istud num. 3. „qui de Deo nostro aliter disputat.“ Eadem tamen ratione, qua nunc, infra num. 4. verbum *ἀναχρίνει* usurpatur. Nec negandum est Coelestino, ubi de impietate Nestorii agitur, verbum *discutere* valde esse familiare. Coust.

Quid spei habeat grex, quando lupum se ipse pastor ostendit, et sic oves invadit, ut grassetur in singulas? Eo namque ore laniantur, quo impia proferuntur. Praebentur pabula[1]) non refectura, sed noxia. Beatus tamen grex, cui dedit Dominus de pascuis judicare.

2. Unde sicut vos facere non ambigimus, impiam disputationem debet fides vestra respuere: ut apud vos, vigilantes in Christo, inter cibum et venenum sit certa discretio, et permaneatis in his, quae sermone superiorum pastorum docente didicistis; scientes fuisse vobis hactenus sacerdotes magisterio et sanctitate pollentes, qui nunquam a paternis traditionibus deviantes, Ecclesiam Domini summa quiete rexerunt. Nam ut a recentioribus inchoemus, quid non animis vestris eruditio sanctae memoriae episcopi Joannis infudit, cujus sermo adstruens catholicam fidem toto orbe diffusus est? qui nusquam per doctrinam suam defuit; quia ubicunque lectus est, praedicavit. Illius[2]) diligenti prudentiae constantia celebrata

[1]) Graec. „non quae saginent et pinguefaciant; sed quae extenuent.“

[2]) Id est, hunc diligentia et studio commendatum successor excepit constantia celebris.

successit. Rexit enim sanctae memoriae episcopus Atticus christianum populum decessoris exemplo, et sacrilegos persecutus est haereticorum furores. Habuimus, hoc decedente, collegam beatae memoriae Sisinium, scientem [1]) quid possit gloriae remanere, si integra et intemerata, quae ad se usque pervenerant, catholicae fidei ornamenta servaret. Intelleximus ei nec columbae simplicitatem, nec prudentiam defuisse serpentis. Flevimus, fratres carissimi, velut praescii futurorum, cito nos ejus praesidio destitutos.

3. In hoc enim, qui de Deo nostro aliter disputat, quam ipse de se, quam de ipso apostoli tradiderunt, quid spei inveniamus ignoro, qui non solum attritos non alligat, sed et atterit alligatos; non solum elisos non elevat, sed etiam stantes conatur allidere; non solum dispersa non colligit, sed et collecta dispergit. Quamvis nec conteri possit Deo mens dicata, nec elidi qui stat virtute coelesti, sed nec sancta turba dispergi. Aperte ergo dilectioni vestrae, quod sine lacrymis non possumus dicere, nunciamus. Movit disputator vester praelium veritati, antiquae fidei intulit manus: impugnat apo-

---

[1]) Graec. „quanta ipsum gloria maneret.“

stolos, prophetas respuit, ipsius Domini nostri de se dicentis verba non sequitur. Cujus religionis, vel quibus legibus se episcopum dicit, abusus novo et veteri Testamento? Nam intellectum figurae respuit, et inter nos versatam non recipit veritatem: aliter denique Christi Dei nostri tractat arcanum [1]), quam fidei nostrae patitur sacramentum, quod reverenter secutus est omnis catholicus disputator. Nemo enim bene religioni deditus aliud de Christo sentit, quam de se voluit ipse sentiri. Movit aliquando sacrilegam quaestionem samosatenus Paulus, cum sanctae apud Antiochiam praesset ecclesiae: sed eum de throno, cui feraliter praesidebat, sacerdotum catholicorum sententia unita dejecit. Semper enim abscidendi sunt hujusmodi, qui conturbantes animum populi christiani, et pro arbitrio suo Evangelia evertentes, Deo fructificare non possunt: et colenda est vinea, quae jus possessoris agnoscat.

4. Certum est autem, quia tales sermonum novitates de vanae gloriae amore descendunt. Dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quaerunt quid

---

[1]) Graece *μυστήριον*.

novi proferant, unde apud animos imperitos temporalem acuminis gloriam consequantur. Sed quis unquam veram gloriam, dum sibi sapiens videtur, obtinuit? Deus enim noster infirma mundi elegit [1]) contra fortia, et sapientes per mundi stulta confundit (1. Cor. 1, 27). Quis in mundi sapientia glorietur, nisi qui se confitetur esse de mundo; nisi qui illius se negat esse discipulum, qui ait se non esse de mundo (Joan. 17, 16)? Una est gloria, ut, sicut Apostolus ait, *qui gloriatur, in Domino glorietur* (1. Cor. 1, 31). Nonne huic vestro episcopo (sed nunc usque vestro, nisi quod credimus credat), videmus hanc sententiam convenire: Stultus factus est, cum se dicit sapientem (Rom. 1, 22)? Professa quippe stultitia est, illum, quem Dei scimus esse sapientiam virtutemque, nescire. Nescire

[1]) Ad graecam literam legendum esset: „et ex contrariis confundit fortia.“ Sed et verbum *confundit*, quod latine ambiguum est, et vel commixtionem vel pudoris suffusionem sonat, graecus interpres contra Coelestini mentem reddidit, dum nequaquam ipsi Apostoli verbo καταισχύνει, quod est *pudorem suffundit*, sed verbo συγχέει, quod est *commiscet* usus est.

enim se ea, quae discutit [1]), confitetur. Nec hunc dilectio vestra miretur a via veritatis errasse, quem Christum, qui est via nostra, videat perdidisse. Deprehendimus interdum se sinistra disputatione prodentem, interdum latentem quibusdam cuniculis et sua venena celantem: et cum oportuerit nos, sequentes sententiam prudentissimi Salomonis, nullum ad ejus imprudentiam praebere responsum, ne similes ei essemus (Prov. 26, 4): suademus tamen, ut apostolos, ut prophetas nobiscum sequatur; ne cum omnibus solus [2]) occurrit, solus ab omnibus refutetur. Vobis vero diligentius vigilandum est, ut inimici praedicationibus resistatis. Major enim vobis sollicitudo est, cum intra ecclesiam vobis Ecclesiae adversa dicuntur. Habeant laboris inducias, quos adversarius foris positus incessit, qui dispersi propugnaculis, murorum se defensione tutantur. Nesciunt ferias, in quibus intus est hostis. Sed in hoc intestino bello, in hoc domestico praelio fides vobis murus sit, et contra perfidiam

---

[1]) Seu, quae in controversiam vocat.

[2]) Planius in graeco, *resistit atque opponitur*.

spiritalibus se telis ipsa defendet. Servemus hanc, quia nos servata custodit. Per hanc firmamentum nostrum Deus est, atque refugium. Eripit de manu peccatoris, cui vos in fluctu positos convenit dicere: *Domine, libera nos, perimus* (Matth. 8, 25).

5. Ad vos nunc, clerici et omnes qui devoti estis Domino, noster sermo vertendus est. Dicat fortasse aliquis, ordinem non esse servatum. Voluimus et nos prius, quod ratio postulabat, habere verba vobiscum: sed eorum cura major obtinuit, quos voluimus in commune servare. Neque enim de vobis dubitare debemus, quibus utique ducibus illos pro fide stare credimus. Sancti et Deo amabilis fratris et coepiscopi mei Cyrilli per filium meum Posidonium diaconum ad me directa relatio ea contra vos agi loquitur, quae potest in Ecclesiae membra agere, qui ejus capiti non pepercit. Non vos ista discrucient. Major gloria est in labore majore: quia certaminis qualitas facit praemii qualitatem. Legitis enim nobiscum, quod is qui legitime certaverit, coronabitur (2. Tim. 2, 5). Unde adhortatio vobis nostra debetur, quae et pusillanimis et viriliter resistentibus necessaria est: ut tentamenta

valeant ferre qui [1]) nequeunt, et firmius possint stare qui certant. Nunquam nostri regis arma vincuntur. Probatio est omnis tentatio christiano; quippe quae patientiam, sicut legimus, operatur (Rom. 5, 3 et 4). Ex hac spes nascitur, quae neminem Scriptura spondente confundit. Unde fratres carissimi, quia consolatio vestra ex Deo est, cui corpora vestra, hoc est vos ipsos, vivas, ut ait Apostolus, hostias exhibetis (Rom. 12, 1), repugnantes nolite deficere. Dat ille virtutem, qui per Apostolum nos monens, esse vult membra nostra arma justitiae suae (Rom. 6, 13). Habetis exempla sanctorum, qui olim seminantes in lacrymis in gaudio messuri sunt in futuro (Psalm. 125, 5). Non amat Dominus noster servum nisi experimentis probatum. Christianas animas rerum palaestra semper exercet. Currite, ut vos in viis Domini invicem transeatis: nolo vos ab adversariis comprehendi. Oportere [2])

---

[1]) Mallemus, *qui non valent*, prae infirmitate videlicet animorum.

[2]) Respicit Coelestinus ad illud Apostoli, quod et in epistola superiori ad Nestorium n. 3. commemoravit: „Oportet etiam haereses esse, ut probati manifesti fiant.“

dicit esse Apostolus quae videmus (1. Cor. 11, 19). Fortitudinem fidemque nonnisi campus ostendit. Difficile est otium coronari: praemia nonnisi laboribus deferuntur. Nolo salutis galeam capita vestra deponant: nolo se loricam fidei exuat, qui idoneum Christi militem profitetur.

6. Nostri nobis bella moverunt; si tamen nostri dicendi sunt, quos ad inimicum transisse rupto foedere sentiamus. Vestrum est stantes pedes habere in atriis Jerusalem. Volumus vobis gressus esse perfectos, ne unquam in exemplum simile alicujus vestigia moveantur. Sequantur cum malo diabolum, qui se ex eo simul esse cognoscunt. Vos qui filii Dei operibus apparetis, quia ex fructibus vult unumquemque cognosci, vicissim mentes consolamini pusillorum, infirmos quosque suscipite confirmantes eos. Non vos seducat impietas, sed de bono et malo pro qualitate sui tenete sententiam, vitantes perversa, quae sunt recta laudantes. Abominationi est enim Deo Salomone dicente, quisquis vel justum pro injusto, vel pro justo ducit injustum (Prov. 17, 15). Nulla est tribulatio temporalis, si sit ante oculos perenne praemium, cui nihil convenit anteponi. Clamat noster hymnidicus, si adversum se castra

consistant, spe illuminationis illius sibi penitus non timendum (Psalm. 26, 3). Si certamen cum gentibus haberetis, esset utique magna victoria superasse eos, quos semper haberetis (leg. habuistis) inimicos. Quanta est dicenda victoria, ubi sacerdos, praedicatione mutata, catholicorum factus est persecutor? contra Paulum proprie in omnibus sentiens, qui Evangelii Domini, quod ante fuerat persecutus, factus est postea praedicator. Desertus est impius disputator a sancto Spiritu, postquam in ipsum Spiritum sensit adversa. Merito, si persistit, audiet a nobis Samuelis verba, quae Sauli tunc ab ipso dicta sunt sacerdote: *Spernet te Dominus, ne regnes super Israel* (1. Reg. 15, 23). Si hoc ille meruit, quia solum in agendis rebus Dei praecepta contempsit; quae huic poena debebitur, qui se in ipsum Dominum majestatis erexit? Curare nunc vestrum est quodcunque vulnus inflixit, et his praebere medicinam, qui ejus sermonibus sauciati sunt. Firmis in hunc state vestigiis, quem sicut ejus sermo demonstrat, jam cecidisse videamus. Quidquid in vos intulit, ferte patienter. Indixit injurias, indixit exsilia? Ille in suis haec passus est, quem suscepisse

pro nobis hominem diffitetur. Unde nullus defleat, quidquid in aliquos vestrum facere molitus est.

7. Patientiae vobis atque constantiae forma sit Stephanus, primus Christi testis exsistens. Plebs in hunc praedicantem striduit perfidorum; nec tamen idoneus Christi comes tacuit, quod videbat. Exclamabat inter furentes, inter religionis inimicos, videre se apertos coelos, et Filium hominis, propter quem talia pateretur, stare ad dexteram Dei (Act. 7, 55). Longum est ire per singulos, qui vitam vel morte vel confessione mercati sunt. Habetis vos, quicunque Ecclesia estis ejecti, pene nostrorum temporum beatae recordationis Athanasii alexandrinae ecclesiae prudentissimi sacerdotis exemplum. Cui non consolationi sit illius tolerantia? cui non sit exemplo illius fortitudo? cui non spem faciat ejus exspectata reversio? Ejicitur Ario persequente, sed revocandus Domino prosequente. Passus est carcerem, passus angustias; nec mirum, si vir apostolicus ea passus est, quibus se Apostolus gloriatur exercitatum (2. Cor. 11). In his tamen omnibus secutus est illum, qui sibi in tribulationibus se placere testatur (2. Cor. 12, 10). Fugatus illinc, in nostris partibus recreatus

est. Denique hic ei redintegratus est status, et in hac sede requiem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur. Nec tamen sensit in tribulationibus lassitudinem, qui factus est in persecutione confessor. Unde christianorum nullus illatum sibi temporale deflere debet exsilium: quia eorum nemo exsul est Deo. Timeamus ne e regione vivorum, hoc est illa, quam nostram patriam esse volumus, exsulemus. Illud est nostrum, illud perpetuum, illud aeternum. Nostrum enim non est unde transitur; sed illa vere nostra, quae spes certissima pollicetur. Sunt autem, dicente Apostolo, *quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt haec, quae praeparavit Deus diligentibus se* (1. Cor. 2, 9). Ne tamen vel ad tempus ejus videatur valere sententia, qui in se jam divinam sententiam provocarat, aperte sedis nostrae sanxit auctoritas, nullum sive episcopum, sive clericum, seu professione aliqua christianum, qui a Nestorio vel ejus similibus, ex quo talia praedicare coeperunt, vel loco suo vel communione dejecti sunt, vel ejectum vel excommunicatum videri. Sed hi omnes in nostra communione et fuerunt, et huc usque perdurant: quia neminem vel dejicere vel

removere poterat, qui praedicans talia titubabat.

8. Omnes igitur praesens sermo in commune complectitur: ut magis ac magis roborati, et confidentes in Domino, non moveamini; quin imo et medeamini infirmitatibus aliorum. Jam enim vobis illic commendamus infirmos, ubi sic videtur ipse medicus aegrotare; cui tamen volumus, si adhuc possumus, subvenire. Nam cum ad sanctum fratrem nostrum et coepiscopum Cyrillum responsa congrua mitteremus, et haec vobis per carissimum Posidonium ejus diaconum, et huic de quo agitur, dirigenda ab eodem fratre meo scripta transmisimus. Et quia nostra in tanto negotio propemodum praesentia necessaria videbatur, vicem nostram, propter marina vel terrena spatia, ipsi sancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iste longitudinis occasione grassetur. Vos tantum apostolicos ante oculos habentes sermones, in eodem sensu et in eadem sententia estote perfecti: ut, sicut legimus, permanentes usque ad finem salvi esse possitis (Matth. 10, 22). Ut autem noveritis sub qua definitione literas miserimus, ipsam sententiam huic epistolae fecimus subter annecti, ut datam de ipso formulam cognos-

catis. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data 3. Idus Augusti Theodosio 13. et Valentiniano 3. consulibus.

9. Palam igitur agnosce hanc nostram esse sententiam, ut nisi de Christo Deo haec exposueris, quae et romana, et alexandrina, et omnis catholica sentit Ecclesia, sicut etiam constantinopolitana ecclesia usque ad te, carissime, intellexit, juxta expositam in synodo nicaena fidem; ac nisi hanc infidelem novitatem ab adoranda et veneranda Scriptura sejunxeris, et intra decem dies ex innotescentis hujus exsecutionis die numerandos aperta et scripta professione damnaveris, ab omni te catholica Ecclesia excommunicatum [1]).

---

[1]) Si nihil in graeco textu est temere additum, hic supplendum est: „et ad omnia, quaecunque sacerdotalis auctoritatis sunt, inhabilem.“ Istud quidem supplementum in superiori epistola non modo latine, sed etiam graece desideratur: ei tamen favet, quod Cyrillus Coelestini sententiam Nestorio denuntians, sic eum apud Baluz. nov. coll. concil. p. 413. alloquitur: „Si hoc non egerit tua reverentia secundum definitas inducias in literis memorati sanctissimi et reverendissimi episcopi et comministri romanorum Coelestini, cognosce te ipsum nullam sortem habentem nobiscum, neque locum in sacerdotibus Dei et episcopis.“ Coust.

EPISTOLA VII.

B. COELESTINI PAPAE I.

ad

SYNODUM EPHESINAM.

Ut ab apostolis tradita fideliter custodiant. Ut certent fortiter pro Christi causa. Ut uno animo et fidei adsint et ecclesiarum quieti. Legatos se destinasse, qui synodi gestis intersint, et a se statuta exsequantur.

Coelestinus episcopus sanctae synodo apud Ephesum congregatae [1]).

---

1. Spiritus sancti testatur praesentiam congregatio sacerdotum. Certum est enim

---

[1]) In edit. Coustantii 18. Scripta 8. Maji a. 431. Has literas concilii ephesini patres summa ve-

quod legimus (quia non potest veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est): *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum* (Matth. 18, 20). Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest; quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit tanta turba sanctorum? Sanctum namque est pro debita veneratione collegium, in quo utique nunc apostolorum frequentissimae illius, quam legimus, congregationis adspicienda reverentia est. Nunquam his defuit, quem receperant praedicandum: adfuit his semper Dominus et magister, nec docentes a suo doctore deserti sunt. Docebat ille qui miserat, docebat qui et dixerat quid docerent. Docebat ille, qui in apostolis suis se confirmat au-

---

neratione summoque plausu excepere. Iis quippe recitatis „omnes simul rev. episcopi acclamaverunt: Hoc justum judicium. Novo Paulo Coelestino, novo Paulo Cyrillo, Coelestino custodi fidei, Coelestino cum synodo concordi, Coelestino universa synodus gratias agit.“ Exstat hujus epistolae textus graecus (nam graece versa fuit) et latinus; hunc graeco longe saniorem esse censet Constantius.

diri (Luc. 10, 16). Haec ad omnes in commune Domini sacerdotes mandatae praedicationis cura pervenit: hereditario namque in hanc sollicitudinem jure constringimur, quicunque per diversa terrarum eorum vice nomen Domini praedicamus, dum illis dicitur: *Ite, docete omnes gentes* (Matth. 28, 19).

2. Advertit vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum: omnes etiam nos agere voluit, quod illis sic omnibus in commune mandavit: officium necesse est nostrorum sequamur auctorum. Subeamus omnes eorum labores, quibus successimus in honore. Praestemus eorum diligentiam praedicatis: post quae, monente Apostolo, nullam praedicationem jubemur admittere (Gal. 1, 8 et 9). Non est minor tradentis officio custodia traditorum. Illi jactaverint fidei semina: nostra haec sollicitudo custodiat, ut incorruptum et multiplicem fructum nostri Patrisfamilias adventus inveniat, cui soli utique assignatur ubertas. Loquente namque electionis vase, plantare et rigare non sufficit, nisi Deus dederit incrementum (1. Cor. 3, 7). Agendum igitur nunc est labore communi, ut credita, et per apostolicam successionem huc usque detenta serve-

mus. Illud in nobis, per quod secundum Apostolum ambulemus, arguitur [1]). Non enim nunc species [2]), sed fides nostra vocatur ad causam.

3. Spiritalia arma sumenda sunt, quia bella sunt mentium, et tela verborum; ut in nostri regis foedere perduremus. Omnes nunc ibi positos ¡beatus Paulus apostolus monet, ubi [3]) Timotheo remanere mandavit (1. Tim. 1, 3). Idem igitur locus, eadem causa ipsa, etiam modo ipsum requirit officium. Nos quoque nunc agamus, quod agendum tunc ille suscepit: ne quis aliter sentiat, et quaestiones praestantibus maxime fabulis ne quis intendat, ut ipse praecepit (Ibid. 4. et 4, 7). Simus unanimes, unum, quia sic expedit, sentientes. Nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam agere gestiamus (Philip. 2, 2 et 3): una anima cum uno corde sit cunctis. Quandoquidem fides, quae est una, pulsatur; doleat, imo

---

[1]) Id est, *fides*, ut mox explicat.

[2]) Vocabulum *species* verbis *προσῶπόν τι* reddens graecus interpres, hoc nomine personam aliquam videtur intellexisse. Eo tamen *terrena substantia*, quae litium fons et origo esse solet, commodius intelligitur.

[3]) Scil. Ephesi.

et lugeat hoc nobiscum omne in commune collegium. Vocatur in judicium qui judicaturus est mundum; discutitur qui discussurus est omnes; et calumniam patitur qui redemit. Accingatur armis Dei vestra fraternitas (Ephes. 6, 17). Scitis quae galea caput nostrum muniat, quae lorica pectus includat: non vos nunc [1]) demum ecclesiastica rectores castra ceperunt. Nemo dubitet, favente Domino, qui facit utraque unum, depositis armis pacem futuram, quando se causa ipsa defendit.

4. Respiciamus rursus etiam illa nostri verba doctoris, quibus proprie apud episcopos utitur, ista praedicens: *Attendite*, inquit, *vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (Actor. 20, 28). Inde ad hoc vocatos hos legimus, qui istud audirent, quo nunc sanctitas vestra convenit. Ephesiis ergo, quibus est nota fidei praedicatio, sit nunc erga hanc etiam nostra nota defensio. Exhibeamus his nostrae mentis illa veneratione

---

[1]) Graecus interpres legit, *nunc primum*: quod et magis arridet: quasi diceret: In ecclesiae militia tyrones non estis.

constantiam, quae sunt [1]) digna, quae magna sunt, quae pio sensu tranquillitas diuturna servavit, et intemerata regnarunt. Nunquam contra Regem regum verba tyrannicae dominationis admissa sunt: nec opprimi per falsitatem potuit negotium veritatis. Vos hortor, fratres carissimi, respiciatur illa dilectio, in qua utique secundum vocem Joannis apostoli, cujus reliquias praesentes veneramini, manere debemus (1. Joan. 3, 17 et 4, 16). Sit oratio communis ad Dominum. Scimus quae vis divinae illius praesentiae sit futura (Act. 4, 31), supplicante concorditer tanta multitudine sacerdotum: quando locus ille moveri potuit, in quo unanimiter duodecim legimus supplicasse. Quae tamen fuit apostolorum petitio deprecantium? Nempe ut acciperent verbum Dei loqui cum fiducia, et per ejus manus virtutes agere, quarum praestante Christo Deo nostro acceperant potestatem. Et vestro nunc sancto conventui quidnam aliud postulandum, quam ut cum fiducia loquamini verbum Domini? quam ut det servare, quae praedicare concessit? ut repleti Spiritu sancto, sicut scri-

---

[1]) Lab. post Baron. „*qua* sunt digna, quae magna sunt, quae pio.“

ptum est, licet ore diverso, unum tamen, quod ipse Spiritus docuit, proferatis? His omnibus breviter animati, quia, sicut ait Apostolus, scientibus legem loquor (Rom. 7, 1), et loquor sapientiam inter perfectos (1. Cor. 2, 6), adestote catholicae fidei et ecclesiarum quieti; adestote, quia sic dicendum est, et praeteritis et praesentibus et futuris, rogantes atque servantes quae ad pacem Jerusalem (Psalm. 121, 6).

5. Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres et consacerdotes nostros, unanimes nobis et probatissimos viros, Arcadium et Projectum episcopos, et Philippum presbyterum nostrum, qui iis quae aguntur intersint; et quae a nobis ante statuta sunt, exsequentes. Quibus praestandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum: quando id, quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiae securitate decretum. Data VIII. Idus Maji, Basso et Antiocho consulibus.

EPISTOLA VIII.

B. COELESTINI PAPAE I.

ad

EPISCOPOS GALLIARUM.

1. De Prospero et Hilario, qui quosdam Galliae presbyteros accusant Pelagii sectatores. 2. De sancto episcopo Augustino mira laudis assertio. 3. Praeteritorum sedis apostolicae episcoporum auctoritates de gratia Dei. 4. Quod Adam omnes laeserit, nec quemquam nisi Christi gratia posse salvari. 5. Quod nemo sit bonus suis viribus, nisi participatione ejus, qui solus est bonus. 6. Quod nisi gratia Dei continua juvemur, insidias diaboli devitare non possumus. 7. Quod per Christum libero bene utamur arbitrio. 8. Quod omnia sanctorum merita dona sint Dei. 9. Quod omnis sancta cogitatio et motus piae voluntatis ex Deo sit. 10. Quod gratia non solum peccata dimittat, sed etiam adjuvet ne committantur, et praestet ut lex impleatur; non, sicut ait Pelagius, facile, quasi sine Dei gratia difficilius possit impleri. 11. Quod praeter statuta sedis apostolicae, omnes orationes Ecclesiae Christi gratiam resonent, qua genus re-

paratur humanum, et ab aeterna damnatione reducitur. **12.** *Quod gratiam Dei etiam baptizandorum testetur instituta purgatio, cum exorcismis et exsufflationibus spiritus ab eis expelluntur immundi.* **13.** *Quod profundiores quaestiones nec contemnendae sint, nec penitus asserendae.*

Dilectissimis fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Arcadio, Fillucio et ceteris Galliarum episcopis Coelestinus [1]).

---

1. Apostolici verba praecepti sunt, apud judaeos atque gentiles sine offensione nos esse debere (1. Cor. 10, 32). Hoc quisquis christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cum ita sit, non parum periculi illum

---

[1]) In editione Coustantii 21. Scripta c. a. 431. Cui vero adscribi debeant subnexae apostolicae sedis auctoritates, non una est eruditorum sententia. Alii eas tribuunt ipsi Coelestino, alii s. Leoni, alii Prospero. Sed quicunque demum fuerit illarum collector, religioni nobis fuit, inquit Coustantius in Monito praefixo, opus distrahere, quod nunquam non conjunctum legimus, quod ipsa sede apostolica volente ac probante credimus copulatum.“ Eo autem consilio indiculus hic collectus fuit, ut adversus eos, qui obloqui Augustino non desistebant, tanti doctoris memoria sedis apostolicae suffragio vindicaretur.

manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, ista contristent, quae auctoribus christianis percellunt animos christianos, dominicus in Evangelio sermo testatur. Ait enim ipse Salvator, quod expediat scandalizanti unum de pusillis, in maris profundum demergi (Matth. 18, 6): et ideo, quae sit ejus jam poena quaeramus, cui tale supplicium legimus expedire.

Cap. I. 2. Filii nostri praesentes Prosper et Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quaestiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant, praedicare adversantia veritati. Sed vestrae dilectioni justius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum (Luc. 6, 40), hoc est non sibi debere quemquam in injuriam doctorum vindicare doctrinam. Nam et hos ipsos a Deo nostro positos novimus ad docendum, cum sit, dicente Apostolo (1. Cor. 12, 28), eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus, ii loquuntur, qui,

si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Timeo ne connivere sit, hoc tacere. Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi. Non sit his liberum, habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem [1]): desinat ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur saepe naufragio mergere, quos intra portum stantes, statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrerunt ad apostolicam praedicti sedem; haec ipsa nobis, quae tentat perturbatio, conquerentes. Habetote, fratres carissimi, pro catholicae plebis pace tractatum. Sciant se, si tamen censentur presbyteri, dignitate vobis esse subjectos. Sciant quod sibi omnes, qui male docent, discere magis ac magis competat, quam docere. Nam quid in ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant praedicandi?

[1]) In haec verba cf. Vinc. Lirinensem common. c. 32. al. 43. opusc. t. 9.

Nisi forte illud obsistat, quod non auctoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui e fratrum numero, nuper de laicorum consortio in collegium nostrum fortassis admissi, nesciant quid sibi debeant vindicare. Super his [1]) multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris Tuentii dedimus scripta responsum. Nunc tamen repetentes saepius admonemus: vitentur hujusmodi, qui laborant per terras aliud, quam ille noster jussit agricola, seminare. Nec tamen mirari pos-

---

[1]) Utrum *super his*, quos e laicorum consortio in collegium episcopale admissos proxime questus est, an *super his*, quos nova praedicare acceperat, dederit illud ad Tuentii scripta responsum; num etiam Tuentius is fuerit, quem Zosimus epist. 4. n. 4. ut illegitime a Proculo massiliensi episcopo ordinatum, in quocunque gradu ecclesiastico suscipi vetat, aliorum permittimus judicio. Probabile tamen est, Tuentium hunc ab illo non esse diversum, necnon de iis, qui indisciplinatas quaestiones in medium vocabant, ad illius scripta fuisse responsum. Hoc responsum non exstat. Deinceps luce clarius est, eorum nomine, qui novas in Ecclesiam doctrinas inducere moliuntur, non Hilarium a Coelestino intelligi aut Prosperum, sed eos, *qui nituntur etiam quiescentium fratrum* (ac nominatim Augustini) *memoriam dissipare* atque infamare. Coust.

sumus, si haec erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

Cap. II. 3. Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori. Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus. Nefas est haec pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari; quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter justitiam sustinere (Matth. 5, 10). Quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa [1]) solorum; universalis Ec-

---

[1]) Coelestini mens hoc syllogismo fiet manifestior: Universalem Ecclesiam pulsat quaecunque novitas. Atqui causa quae agitur novitatem sapit. Non est igitur unorum agentium seu litigantium, sed totius Ecclesiae causa.

clesia quacunque novitate pulsatur. Intelligamus haec ipsa vobis, quae nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessabit. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

Incipiunt praeteritorum sedis apostolicae episcoporum auctoritates de gratia Dei.

Cap. III. 4. Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis haereticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare praesumunt; et cum Pelagium atque Coelestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quae sacratissima beati apostoli sedes Petri contra inimicos gratiae Dei per ministerium praesulum suorum sanxit et docuit: necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores romanae ecclesiae de haeresi, quae eorum temporibus exorta fuerat, judicarint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores, quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint; ita ut etiam africanorum conciliorum

quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt apostolici antistites, cum probarunt. Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant instruantur, constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat:

Cap. IV. 5. In praevaricatione Adae omnes homines naturalem [1]) possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit, pronunciante beatae memoriae Innocentio papa, atque dicente in epistola ad carthaginiense concilium [2]): „Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in praevaricationis profunda demersus est: et nihil, quemadmodum exinde surgere posset, inve-

---

[1]) *Naturalem* i. e. originalem, quam ab origine e manu Dei non solum ipsum creantis sed et ad supernaturalem finem elevantis accepit.

[2]) Cf. supra ep. 10. al. 29. n. 6.

nit: suaque in aeternum libertate deceptus, hujus ruinae jacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus, qui per novae regenerationis purificationem omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit."

6. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. Quod in eisdem scriptis ejusdem pontificis sententia protestatur dicens: „Numquid nos de eorum posthac rectum mentibus aestimemus, qui sibi se putant debere, quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidie gratiam consequuntur [1]), qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?"

Cap. VI. 7. Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit. Quod ejusdem antistitis in eisdem paginis doctrina confirmat dicens: „Nam quamvis hominem redemisset a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum

---

[1]) Quaedam hic praetermittuntur Innocentii verba sive brevitatis ergo data opera, sive propter iteratum verbum *consequuntur*, liberariorum lapsu.

posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit, quotidiana praestans illi remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur."

Cap. VII. 8. Quod nemo, nisi per Christum, libero bene utatur arbitrio, idem magister in epistola ad milevitanum concilium data [1]) praedicat dicens: „Adverte tandem o pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in praevaricationem praesumptione conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset adventus."

Cap. VIII. 9. Quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit: in quam nos sententiam dirigit beatae recordationis papae Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis episcopos ait: „Nos autem instinctu Dei (omnia

---

[1]) Cf. supra ep. 11. al. 30. n. 3.

enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.“ Hunc autem sermonem sincerissimae veritatis luce radiantem tanto afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eundem virum [1]) scriberent: „Illud vero, quod in literis, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens: Nos tamen instinctu Dei etc., sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecistis arbitrio, quam quod universa in nostrae humilitatis conscientiam retulistis? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidistis, veraciter fidenterque dixistis. Ideo utique, quia praeparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt (Rom. 8, 14); ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanae singulis mo-

[1]) Ut Zosimi, ita et afrorum, laudata scripta ad nos non pervenerunt.

tibus magis illius valere non dubitemus auxilium.“

Cap. IX. 10. Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor [1]) instituit, qui cum ad totius orbis episcopos de divinae gratiae opitulatione loqueretur: „Quod ergo, ait, tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura praesumat clamante Apostolo: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates aeris hujus, contra spiritalia nequitiae in coelestibus* (Ephes. 6, 12). Et sicut ipse iterum dicit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. 7, 24). Et iterum: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia*

[1]) Scil. Zosimus.

ejus in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum (1. Cor. 15, 10).

Cap. X. 11. „Illud etiam, quod intra carthaginiensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium apostolicae sedis amplectimur [1]), quod scilicet tertio capitulo definitum est: Ut quicunque dixerit, gratiam Dei, qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quae jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit. Et iterum quarto capitulo: Ut quisquis dixerit, gratiam Dei per Jesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus, *Scientia inflat, caritas vero aedificat* (1. Cor. 8, 1): valde impium est ut credamus, ad eam quae inflat nos habere gratiam Christi, et ad eam quae aedificat non habere; cum sit utrumque do-

---

[1]) Haec videntur a Zosimo proferri.

num Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus, ut aedificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *Qui docet hominem scientiam* (Psalm. 93, 10): ita scriptum est etiam: *Caritas ex Deo est* (1. Joan. 4, 7). Item quinto capitulo: Ut quisquis dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tamquam et, si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere: sed ait: *Sine me nihil potestis facere*" (Joan. 15, 5).

Cap. XI. 12. Praeter has autem beatissimae et apostolicae sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres, pestiferae novitatis elatione dejecta, et bonae voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in ejus usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt; obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur; ut legem

credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut judaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis coelestis misericordiae aula reseretur. Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii caritatis suae, et ex vasis irae faciat vasa misericordiae. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

Cap. XII. 13. Illud etiam, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso

contemplamur intuitu. Cum sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, et quomodo prius aligetur fortis, et deinceps vasa ejus diripiantur in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, et dat dona hominibus.

14. His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem: et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona; et pro his quae largitus est, aeterna

praemia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, et velimus, et agamus: nec otiosa in nobis esse patitur, quae exercenda, non negligenda, donavit, ut et nos cooperatores simus gratiae Dei. Ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicite recurramus, qui sanat omnes languores nostros, et redimit de interitu vitam nostram, et cui quotidie dicimus: *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo* (Matth. 6, 13).

Cap. XIII. 15. Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas apostolicae sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur catholicum, quod aparuerit praefixis sententiis esse contrarium.

EPISTOLA IX.

COELESTINI PAPAE

post

DAMNATIONEM NESTORII

ad

SANCTAM SYNODUM EPHESINAM SCRIPTA.

Maximiani in locum Nestorii ordinationem laudat et probat. Nestorium Antiochia procul amandandum suadet. De iis, qui cum illo societate conjuncti sunt, nominatimque de Joanne antiocheno episcopo quid statuendum, quidve sequendum sit decernit.

Coelestinus episcopus sanctae synodo apud Ephesum constitutae[1]).

---

1. Tandem malorum fine gaudendum est, tandem nobis omnibus in commune dicen-

---

[1]) In edit. Coustantii 22. scripta 15. Mart. 432.

dum: *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tuae confregit inimicos* (Exod. 15, 6). Proprie namque ipsi confracti sunt, quando iniqua loquentium, dicente David, os videamus esse obstructum (Psal. 62, 12). Hujusce tamen tam fideliter peractae rei vos exsecutores nobiscum videmus fuisse, Dei sacerdotes; qui convenientes in unum, et secundum Apostolum, non quae vestra sunt quaerentes, sed quae Christi Jesu (Phil. 2, 21), negotium Domini communis egistis. Apud vos ergo de vestra loquimur sanctitate, quorum in omnem terram sonum gaudemus exiisse (Psal. 18, 5), cum et in finem ejusdem orbis praedictae veritatis a vobis verba venerunt. Deus noster non patitur latere quod praestitit: quia nunquam beneficia superna celantur. Ita namque fit, ut tanto munere innotescente coelesti, pro voluntate divina, sicut scriptum est, omnis homo salvus fiat, et veniat ad scientiam veritatis (1. Tim. 2, 3). Loquor ergo victoribus, et qui in praelium solam contra hostem portaverunt fidem, quae, et Joanne apostolo dicente, vicit et mundum (1. Joan. 5, 4): vobis ejusdem proprie scribo sermonibus, qui secundum divinam paginam (1. Joan. 2, 24), ut patres cogno-

vistis quod ab initio est; et ut juvenes, dum fortes estis, et verbum Domini in vobis manet, vicistis malignum. In talibus sociis gratulantes, de hoc eventu minime dubitabamus. Habuit animum nostrum fiducia superandi, qui vobis videremus divinae causae pondus incumbere, quos bene admodum noveramus, secundum illud propheticum, odisse congregationem malignorum, et cum impiis non esse sessuros (Psal. 25, 5). Obtinui ergo quod credidi: quia contra nocentes atque perversos, sicut supradictus ait: *Innocentes et recti adhaeserunt mihi* (Psal. 24, 21).

2. Una igitur eademque relatione per filios nostros religiosos et Deo amabiles viros Joannem presbyterum et Epictetum diaconum dejectionem justam, et exaltationem didicimus justiorem [1]); illud quod in Evangelio legimus approbantes, quia Deus noster exaltat humiles, et potentes de sede deponit (Lucae I, 52). A qua sententia ille noster sapientissimus minime deviavit, qui ait, a Deo nostro humilium servatam memoriam,

---

[1]) Ex relatione concilii ad pontificem missa didicit ipse dejectionem Nestorii et exaltationem Maximiani in locum Nestorii.

et perditam superborum (Eccli. 10, 21). Quod quando magis videatur impletum, quam nunc, cum Salvator noster parans bene meritos honorare, ossa hominum sibi placentium dissipavit (Psal. 52, 6), et proviso pastore dignissimo, feralem lupum de ovilibus suis immaculatus Agnus ejecit? Legimus ejus a vestra fraternitate scripta praeconia, nec quisquam nostrum mirari potuit, quia nota dixistis. Assertio impendatur incertis: testimonium comperta non quaerunt. Bonorum hunc actuum palaestra semper exercuit: talem hunc didicimus, qualem in literis invenimus; talem certe, ut breviter dicam, qualem Doctor noster esse praecepit sacerdotem, ut convenienter omnium judicio mereatur audire: *Ecce vere homo Israelita, in quo dolus non est* (Joan. 1, 47). Nonne laudibus in eum vestris ista conveniunt? Taliter denique quae dixistis audistis. Talem successorem quaerebat sanctae memoriae Sisinii beata simplicitas, ut locum suum nonnisi sui similis obtineret. Etenim melius agimus, si abstinentes jam ab illius sacrilegi [1]) nomine, sedem vacasse dicamus. Actum est divino judicio, ut hunc Ecclesia pro

[1]) Id est Nestorii.

remedio mereretur. Denique discordiam tulit, et concordiam reddidit ordinatus. Quid non poterit praestare per tempora, cujus hoc primordia praestiterunt? Haec de eo invicem dicimus, quem pax reparanda quaerebat. Interfuimus, nec nos dixerimus absentes, cum ejus capiti verba mystica [1]) dicerentur, cum redderetur omnibus divina laetitia salutaris. Postremo nemo illic catholicorum defuit, ubi omnes in commune vicerunt.

3. Laetati praeterea sumus de hoc clementissimi et christianissimi principis [2]) testimonio, cum epistolis dilectionis vestrae ejus sententiam videremus esse concordem. Nec mirum est, si cor regis, quod est in manu Dei, cum his senserit, quos ejus noverit sacerdotes. Itaque sermo regalis divinas res exsequendo [3]) militavit Augusto. Felix im-

---

[1]) *Verba mystica* i. e. verba ordinationis, preces, quibus Maximianus ordinatus fuit.

[2]) Is est Theodosus junior.

[3]) Baron. *multiplicat in Augusto:* et ad marg. *militat Aug.* Mallemus *exsecuturo militavit.* Deinde aliquid suspicamur omissum, quo ut regem sacerdoti ita sacerdotem augusto militare docebamur. Unde sic intelligendum quod sequitur: Felix imperium seu Imperator, cui militat is, cujus est divina exsequi; nec minus felix antistes, quem praedicat qui mundanorum dominatur. Coust.

perium, cui militat exsecutio divinorum: nec hic minus felix, quem praedicat dominatio mundanorum. Hoc testimonio dignus est, qui ordinandus probari, non qui improbari potuit [1]) ordinatus.

4. Scimus quo itinere sanctus frater et coepiscopus noster Maximianus, quibus gradatim stipendiis ad fastigium sacerdotale pervenit. Non hunc divitiarum gloria, non velut in potentia cupidum, qui solet inesse ambientibus honorum, saltus evexit: suffragio pauperum, quibus [2]) fidelis servus et prudens cibum dabat in tempore, super omnia Domini sui constitutus est bona (Matth. 24, 45 et 47): et tamen etiamsi desiderium

---

[1]) Nestorium tacite notat, qui post ordinationem coepit improbari.

[2]) Hoc videtur dictum, quia oeconomus ecclesiae CP. fuerit. Illum Socrates lib. 7. c. 35. sanctitatis opinionem eo nomine adeptum esse praedicat, „quod propriis sumptibus monumenta construxisset, quibus religiosi viri post obitum sepelirentur.“ Verum ex subnexis planum est, eum demandato sibi officio non in defunctorum tantum, sed et in vivorum corporibus curandis emicuisse. Qua in re dignum se exhibuit successorem Sisinii, quem Socrates lib. 7. c. 26. in eandem sedem totius populi votis ob hoc praecipue cooptatum fuisse ait, „quod pauperibus fovendis etiam ultra vires suas incumberet.“

fuit episcopatus, nonnisi propter opus bonum, sicut ait Apostolus, concupivit (1. Tim. 3, 1): ita Deus noster et quid velimus, et cur velimus attendit. Quis dubitet posse magis agere praesidentem, quod potuit exercere subjectus? Exosus et blasphemus istud officium non poterat habere, id est, corporum curam, qui nitebatur animas vulnerare. Facta est ruina ejus magna; tam ruina magna, quam prava doctrina.

5. Nunc quia de praeteriti emendatione gaudemus, cavere nos convenit in futurum, ne possint magis ac magis quae abscisa sunt pullulare: quia necesse est quocunque pestis haec loci sit, nostri corporis membra vexentur, et per patientiam nostram pejora prioribus nutrita videantur. Scripsimus clementiae principali, ut de sanitatis medio longius infirmitas auferatur [1]). Didicimus namque hunc Antiochiam revertisse, atque sibi illic, unde venerat, vivendi praestitam facultatem. Innocentum exitium est istud exsilium. Adspiciamus diligentius, quid illic possent parere, quae illic sunt ante concepta. Non est nobis suadere difficile. In oculis est

---

[1]) Cf. epistolam sequentem in edit. Const.

ejusdem civitatis ecclesia, quae per hunc [1]) perdidit sacerdotem (et tamen laboramus advertere, quis cui fuerit causa peccati), nisi forte, quod pro quiete ecclesiarum dicimus, deceptum se ille demonstret, deserendo damnatum. Sed quis illic speret aliquem posse corrigere, ubi arcem tenere videat perversitatis auctorem, ubi colatur ab omnibus exsulatus [2])? Magna illic est, quod lugentes dicimus, desperatio sanitatis, ubi, sicut Esaias dicit, *omne caput in dolore, et omne cor in moestitia a pedibus usque ad caput* (Esai. 1, 5 et 6). Quando ibi membrum aliquod habere poterit spem salutis, ubi periclitatur corporis tota compago? Elaborate, fratres carissimi, elaborate obsecro, ut vere tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit (1. Cor. 5, 2). Sola decet tales homines solitudo. Ubi enim debet hic in-

[1]) Antiochena scil. ecclesia per Nestorium perdidisse dicitur episcopum suum Joannem, quod eidem Nestorio pertinacius adhaeresceret, nondum quidem depositum sed a communione Ecclesiae submotum, ac certe deponendum, nisi damnatum Nestorium deserendo sese deceptum demonstret.

[2]) Nestorius Antiochiae degens a suis asseclis omni honore affectus fuit.

venire solatium, qui sic tractavit ubique regnantem?

6. Peracta est a vobis totius summa negotii, agendum nunc est quod instat et restat; ne sit in vacuum laboratum. Longius quidem sumus positi: sed per sollicitudinem totum proprius intuemur. Omnes habet beati Petri apostoli cura praesentes: non nos ante Deum nostrum de hoc possumus excusare, quod scimus. Nam quamquam haec, quae loquimur, sanctitas vestra tacuerit, agnovimus tamen, omnia diligentius requirentes. Tantae igitur causae finis, qui superest, actibus vestris quaeso respondeat: quia nolumus in modico vos deesse, qui maxima peregistis. Adjutorio apud reges terrae his estote, quae scripsimus. Norunt et ipsi, quid suis debeant praestare temporibus [1]): sciunt quod catholicae fidei fundamento sua regna

---

[1]) Respicit Coelestinus ad imperatorum sacram, qua episcopi ad ephesinam synodum vocati fuerant. Hanc quippe ab his auspicati verbis, „Pendet a religione, qua Deus colitur, nostrae reipublicae status," sic post pauca prosequuntur: „Ante omnia operam damus, ut ecclesiasticus status ejusmodi sit, qui et Deum deceat, et temporibus nostris quam maxime congruat, idemque ex omnium concordia et consensione suam tranquillitatem obtineat.

subsistant. Pura ab heredibus sanctis paternae et avitae credulitatis vena servatur: fluit ab illis incorrupta per posteros, nec hanc in his aliquis unquam limus infecit. Custodit fontis sui fidelis cursus exordium, cum id, quod in origine acceptum est, videtur in prole.

7. Canem et operarium malum pariter persequamur. Facite praesentes, quod hortamur absentes. Nam cum hanc curam generaliter omnibus debeamus, praecipue tamen nos convenit antiochenis periclitantibus subvenire, quos pestifer morbus obsedit. Absolvamus modis talibus civitatem, in qua, sicut Actus Apostolorum loquuntur, dictos primum legimus christianos (Act. 11, 26). Omnibus ergo virtutem praestemus, quibus secundum religionem debere nos novimus quod vocamur. Hanc autem sollicitudinem nostram praesentes probarunt Deo amabiles filii et carissimi atque animis nostris acceptissimi Joannes presbyter et Epictetus diaconus, quos reversos ad vos festinato remisimus, sollicitius hoc agentes, ut quos diebus dominicae nativitatis accepimus, resurrectionis dominicae tempore [1]) redderemus.

---

[1]) Computato videlicet tempore, quod in itinere confliciendo consumpturi erant.

8. De his autem, qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse atque se socios ejus sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quae apostolica sedes semper adspexit. Quod loquimur, coelestianorum testantur exempla. Qui spem de synodo huc usque gesserunt[1]), habent, si resipiscunt, copiam revertendi: quod his solis non[2]) permittitur, quos proprie cum auctoribus haereseos omnium fra-

---

[1]) Qui spem veniae, quam ipsis resipiscentibus synodus fecit, huc usque gesserunt, etiamnum eadem conditione copiam habent revertendi.

[2]) Non quod his omnis ad Ecclesiam negaretur aditus, sed quod cautius permitteretur; et quod cum aliis redeuntibus sui servarentur interdum gradus, haereseos ducibus solum poenitentiae remedium concederetur. Istud unum Pelagio ac Coelestio reliquum fuisse Augustinus non semel asserit. Coelestinus autem haerendum putat decreto, quod Hilarius primum anno 355. ut ipse lib. contra Constantium n. 2. narrat, adversus arianos edidit, quodque postea tota Ecclesia, nominatimque romana, adversus reliquos haereticos perpetuo usu comprobavit, ut nimirum haereseos capita, quae in aliorum perniciem male proficerent, amputarentur „indulta ceteris eorum consortibus resipiscendi facultate." Coust.

trum constat subscriptione damnatos. Per Dei namque misericordiam aliquos [1]) ex eorum numero ad nos jam rediisse gaudemus. Quod hoc consilio factum est, ut quos conscientia mixta[2]) non poterat, saltem sententia separaret. Hoc, moneo, vestra fraternitas sequatur exemplum. Sit caput sceleris cum his, quos [3]) synodalia loquuntur statuta, damna-

---

[1]) Istud *aliquos* referri commode potest ad coelestianos, ita ut probare incipiat Coelestinus, quid *eorum testentur exempla.* Certe Mar. Mercator in Commonitorio, quod anno 429. scripsit, ubi Coelestium ac Pelagium Zosimi tractoria damnatos, illorum damnationem patrum per orbem subscriptionibus roboratam, ac Julianum et socios ei subscribere detrectantes depositos fuisse narravit, adjungit: „Ex quibus plurimi resipiscentes, et a praedicto errore correcti, regressi sunt supplices ad sedem apostolicam, et suscepti suas ecclesias receperunt," prius scilicet, ut ad ejusdem Commonitorii calcem adjicitur, „Pelagio damnato, sedi apostolicae se submittentes, et poenitere se super his, quae male senserant, profitentes." Unde liquet Coelestinum, iis ob oculos positis, quae post damnatos a Zosimo pelagianos circa eosdem gesta sunt, ea quae erga Nestorii fautores gerenda sint praescribere. Coust.

[2]) *Conscientia mixta*, forte: quos conscientia, postquam se conjunxerunt et commiscuerunt errantibus, non potuit separare, saltem timor poenae separet.

[3]) Qui scilicet in sententia synodi ephesinae act.

tum: reliqui, quos cum hoc sentientes in communione ecclesiastica non habemus, ejiciantur e civitatibus suis, et se in nostro collegio noverint non futuros, nisi secundum ecclesiasticum et christianorum principum constitutum, damnata [1]) cum auctoribus sociisque damnantes, se profiteantur catholicos sacerdotes. Quam formam etiam circa eos volumus custodiri, qui subripiendum in ecclesiasticis causis christianis principibus crediderunt; et alio ordine rursus ecclesias occuparunt. Antiochenum vero, si habet spem correctionis, epistolis a vestra fraternitate volumus conveniri: ut nisi quae sentimus senserit, novellam blasphemiam, eodem exemplo scripta sua professione condemnans; intelligat de se quoque Ecclesiam, quod fidei nostrae respectus imperat, ordinare. Credendum tamen de divina est misericordia, quod omnes in viam redeant veritatis, si de supradicto loco horum malorum caput et causa [1]) auferatur. Data Ibidus Martiis, Aetio et Valerio consulibus.

---

5. prolata, et act. 7. ante canones repetita recensentur.

[1]) Hoc est, *ea quae damnata sunt.*

[2]) Scil. Nestorius, qui demum in exsilium, ipso Joanne antiocheno agente deportatus est.

INDEX.

	Pag.
Epistola IV. al. XVII. s. Innocentii ad episcopos macedonas	1
Epistola V. al. XXIV. ejusdem ad Alexandrum episc. antioch.	20
Epistola VI. al. XXV. ejusdem ad Decentium episc. eugubinum	27
Epistola VII. al. XXVI. concilii carthaginensis ad Innocentium . . .	40
Epistola VIII. al. XXVII. concilii milevitani ad Innocentium . . .	50
Epistola IX. al. XXVIII. episcoporum quinque afric. ad Innocentium	56
Epistola X. al. XXIX. s. Innocentii ad concilium carthaginiense . . .	78
Epistola XI. al. XXX. ejusdem ad concilium milevitanum	90
Epistola XII. al. XXXI. ejusdem ad quinque episcopos afros	98
Epistola XIII. al. XXXVII. ejusdem ad Felicem episc. nucerinum . . .	105
Epistola I. al. II. s. Zosimi ad episcopos Africae	110
Epistola II. al. III. ejusdem ad episcopos Africae	121

Pag.

Epistola III. al. IX. ejusdem ad Hesychium ep. salonitanum 137
Epistola IV. al. XII. ejusdem ad concilium carthaginiense 142
Epistola I. al. IV. s. Bonifacii ad Rufum 147
Epistola II. al. V. ejusdem ad Rufum . 152
Epistola III. al. XIII. ejusdem ad Rufum . 157
Epistola IV. al. XIV. ejusdem ad episcopos per Thessaliam 162
Epistola V. al. XV. ejusdem ad episcopos per Macedoniam etc. 167
Epistola I. al. IV. s. Coelestini ad episcopos provinciae viennensis et narbonensis 179
Epistola II. al. VIII. s. Cyrilli alex. episcopi ad Coelestinum 190
Epistola III. al. IX. seu commonitorium s. Cyrilli de erroribus Nestorii . . 199
Epistola IV. al. XI. s. Coelestini ad Cyrillum alex. episcopum . . . 204
Epistola V. al. XIII. ejusdem ad Nestorium 211
Epistola VI. al. XIV. ejusdem ad clerum et populum constantinopolitanum . . 230
Epistola VII. al. XVIII. ejusdem ad synodum ephesinam 246
Epistola VIII. al. XXI. ejusdem ad episcopos Galliae 253
Epistola IX. al. XXII. ejusdem ad synodum ephesinam 270

A. M. D. G.